MUSÆ ETONENSES:

SIVE

POEMATIA

IN

DUOS TOMOS

DISTRIBUTA.

Eſurit, intactam Paridi niſi vendat Agaven.

TOM. II.

NAPOLI

LONDINI:
Typis Caroli Rivington,
Proſtant venales apud J. & J. Rivington; OXONII, J. Fletcher; CANTABRIGIÆ, R. Matthews; & ETONÆ, J. Pote.
MDCCLV.

Digitized by Google

VIRO REVERENDO

GULIELMO GEORGE, S. T. P.

Decano LINCOLNIENSI,

Nec non Collegii REGALIS Præpoſito digniſſimo;

ETONÆ ATQUE CANTABRIGIÆ,

Per omnes Literarum humaniorum gradus

'ΑΙΕΝ 'ΑΡΙΣΕΥΟΝΤΙ;

Hæc *ETONENSIUM* ſuorum Carmina,

Ipſius pleraque Auſpiciis condita,

Dat Dicat Dedicat,

Optimo quondam Præceptori

Diſcipulus devinctiſſimus,

J. PRINSEP.

Digitized by Google

Digitized by Google

MUSÆ ETONENSES.

ECCLESIASTES.

AUDITE, O miſeri, dictiſque advertite
[mentes
Quæ Senior ſtadio extremo, metamque ſub
[ipſam
Promit, iter recolens Solomo. Mihi credite,
[rerum
Decepti vanis, experto credite, quantis
In tenebris, lacrymiſque, & luctificis ærumnis
Degitur hoc ævi, quodcunque eſt. Scilicet, ex quo
Vitales auras haurimus, ad uſque ſepulchri
Hoſpitium; per iniqua viarum, & inhoſpita teſqua,
Et caligantes nigrâ formidine valles;
Mille per anfractus, divortia mille; labore
Uſque fatigati, finem tamen uſque timentes

Digitized by Google

Tendimus; atque jugi ſub pondere colla fatiſcunt,
Quod nec detrectare datur, nec ferre valemus.

O fallax ſpecies! vitæ fugitiva beatæ
Umbra! quid infauſtos crudelis & invida falſis
Ludis imaginibus; dum nunc velut obvia pronos
Tendis in amplexus; cupidam, ſimilemque tenenti
Mox fugis, in tenues auras evanida, dextram?
O! ſi mortali tantum contingere munus
Fas eſſet cuiquam, nec fata adverſa vetarent
Curarum exortes traducere leniter annos,
Et mihi fas eſſet tantum contingere munus;
Audiret felix Solomo, nec tetrica muſa
Lugubres planctus, & verba cientia fletum
Funderet: in me unum largi indulgentia cœli
Congeſtas cumulâſſet opes, vitamque beatam.
O felix Solomo, non te quæſiveris extra.

Eheu! mortalis, non hæc in fœdera tecum
Omnipotens venit Genitor, quo tempore Adamus
Infelix vetitos decerpſit ab arbore fructus.

Continuò

Continuò hanc legem impoſuit natiſque patrique;
Perpetuos inter luctus, curaſque ſequaces
Tabeſcant; variiſque exercita corpora morbis
Vix tandem gremio matris compôſta quieſcant.
Exin', ſpeſque leves inter, vanoſque tumultus
Decipimur miſerè pellacis fraude ſereni,
Gaudiaque obnixi ſequimur fugientia; at obſtat
Conditio naſcendi, & inexorabile fatum.

Ipſe, Deo monſtrante viam, Solymæa capeſſi
Imperia, auſpiciis quondam regnata paternis.
Nam mihi Jeſſides belloque infractus & annis
Conceſſit ſolium, rerumque reliquit habenas.
Ille Philiſtæas gentes, prolemque gigantum,
Inviſum cœlo genus, intractabile bello
Contuderat: ſupplex huic Gaza recluſit aheneâs,
Samſonis quondam validi geſtamina, portas:
Aſcalon huic, bruto fruſtrà confiſa Dagoni,
Ceſſit; & Azotus; vallataque turribus Acron.
Huic quoque palmiferos ſaltus ſubmiſit Idume;

Nec non & pictæ valles, quas fertilis Arnon
Irrigat, & largo fœcundat flumine glebas;
(Terra tuis olim, Jephthe, inſignita triumphis)
Quaque Moabitæ degunt, uberrima Regna;
Hebræum agnôrunt Sceptrum, Dominumq; potentem.
His, ubi compoſitis miteſcere ſæcula Bellis
Annuit Omnipotens, Solio ſublimis eburneo
Jura dabam Populis, placidâque in pace regebam.
Quinetiam extremos Claſſis penetravit ad Indos,
Gangaridumque ſinus, prætentaque littora rubro
Oceano inviſit, naſcentique obvia Soli.
Huc Ebur, huc Auri rudia Argentique talenta,
Eruta viſceribus terræ, ſpolia Orbis Eoi,
Taprobane miſit, portuſque oneravit Elanos.
  Sed me præcipuè Ingenii ſolertis Acumen
Reddidit inſignem: Solomoni ſcilicet uni
Abſtruſos veri fontes inviſere, & uni
Contigit occultas rerum cognoſcere cauſas.
Quæ Regio in terris noſtræ non conſcia Famæ?

Audiit,

Audiit, & ſi quæ Scythico porrecta ſub Axe
Indigenas Hyemes æternaque frigora ſentit:
Si qua ultra Æthiopum fines calidamque Syenen
Squallet arenoſa, & nimiis plaga Solibus ardet.
Quicquid, Bactra, tui jactant Zoroaſtris alumni,
Sidera vel pernox ſervans Chaldæus haruſpex;
Quæcunque arcanis fruſtrà commiſſa figuris
Divina indoctam celat myſteria Plebem,
Veridica obſcuris involvens dogmata, Memphis,
Non noſtram fugêre aciem: Mens ardua vilem
Geſtit humum ſpreviſſe, viamque affectat ad Aſtra.

Sed tamen, O ſterilis Veri, fruſtraque ſuperbe,
In te deſcendas, Solomo: pars quantula rerum eſt
Quam tibi ſcire datur! quantoque labore parata,
Splendida deluſam tenet Ignorantia Mentem!
Diſce, docendus adhuc, quàm plurima neſciat, & quàm
Claudatur brevibus jactata Scientia gyris.

Quare age, quandoquidem arboreos cognoſcere fœtus
Diceris, à Cedro, Libani quæ plurima ſummis

Imminet, ad Frutices & amantem Flumina Muſcum;
Dic, age, cur Abies apice inſpicatur acuto,
Et teres in gracilem ſenſim faſtigia conum
Colligit: at Fagus latam Paſtoribus Umbram
Præbet, & ingentes fundit circum undique ramos?
Cur foliis Quercus privos mutatur in Annos;
Funereas nunquam Taxus dum ſquallida frondes
Ponit, at imbelles Hyemes & frigora temnit?
Quî fit ut ardentes Roſa matutina rubores
Induat, expedias; glebâ prognata propinquâ
Lilia dum pallent, Violas dum purpura veſtit?
Caltha amat apricos Soles, umbramque Cupreſſus:
Glauca Salix humilem gaudet veſtire Paludem;
Acclives Oleæ tumulos, Colleſque ſupinos
Ornant; in medio Ficus lætiſſima campo.
Unde Solo diverſa ſubeſt Natura? quid Uber
Hoc fovet amplexu dulci genus, alteriuſque
Impatiens, prohibet radicem affigere Terræ?

Quis

Quis mihi vim terræ altricem Sophus explicet? Unde
Semina quæ putri jacuerunt obruta ſulco
Pubeſcunt rediviva iterum, fœtuque gravantur
Conſimili? Viden' ut lætam ſe Dædala tellus
Induat in ſegetem, nec longum tempus, & Arva
Depoſitum Agricolæ multo cum fœnore reddant?
Unde ſibi occultas vires habilemque Vigorem.
Concipiunt Quercus? Quæ vis arcana miniſtrat
Fortia paullatim nodoſo pabula trunco?
Augmine quo ſolidata, quibus valida Incrementis
Eniti aſſuevit, donec contemnere Venti
Irriſas didicit Furias, & Fulminis Arbor?
Quis ſcit, adoptivum quo pacto inoleſcere Membrum
Alterius potuit trunco? Quibus àpta Catenis
Quo nexu coeunt, teneræ dum Filia ſenſim
Concreſcit, ſucci materni oblita, Novercæ?

Piſcibus ignarus quæ ſit Natura requiro:
Quæ ſtudia & Mores populo: quibus Artibus auras
Accipiant reddantque, ubi non ſpirabilis humor

Ambit, & implicitos aqua circumfuſa coercet.
Quo fœtus pariant nixu: quî fiat, ut inter
Regna gelu conſtricta & iniquis aſpera flabris,
Mollis Amor dulci perfundat pectora ſenſu,
Verſet & algentes genialis Flamma medullas.

Nec minus ignoro, fateor, diverſa Volucrum
Ingenia; unde, novum quum Ver laxaverit Annum,
Certatim incumbunt operi, & fundamina ponunt
Penſilibus tectis; tepidis mox incubat Alis
Amplexu Ova fovens Mater; Prolemque futuram
Sollicita expectat; dum fœtâ Uligine mixtus
Oſſa coquit calor, & bruto vitam elicit Ovo.
Jam Soboles plumâ vix vix obducta, volatûs
Prima rudimenta effingit, flexuque ſequaci
Pone legit Matris gyros: Illa anxia Nido
Invitat, donec provecto fortior Ævo
Ætherias poſſit ſpatiari impunè per Auras.

Aſpice nunc quanto ſtudio curâque ſagaci
Mellifica immenſos tranant examina campos

Aeris:

Aëris: ut dulces ſuccos, & roſcida paſſim
Pabula decerpunt: ut, quum jam denſior Aër
Cogitur, & monet ignavas inſtare tenebras,
Decedunt Pratis & cerea tecta reviſunt.

Quid quod ubi Autumnus gravidis caneſcit Ariſtis,
Venturæ metuens Hyemis Formica labori
Inſtat? Jamque ingens & majus corpore granum
Trudit anhela, humeriſque advolvens Horrea ſtipat
Exigua injuſto ſudans ſub Faſce Viator.
Et ne forte Solo nimium nimiumque feraci
Radices agat, & Dominæ ſpem ludat inanem,
Admorſo prohibet ſignatum in ſemine Vulnus.

Dicite, Vos, quibus arcanos Natura receſſus
Expoſuit, quibus Ingeniis, quo prædita ſenſu
Concipiant tantos bruta hæc Animalia motus.
Vis aliena ciet, molemque infuſa per omnem
Dirigit, Artifici ceu Lignum mobile dextra?
Aut ſponte, atque opis externæ non indiga nutu

Ducuntur

Ducuntur proprio? Cur non Deus his quoq; ſolers
Largiri Ingenium potuit, mentemque capacem?
Nec minus in dubio eſt quæ ſit genitalis Origo
Inſectis; unde arceſſant ſibi tenuia Vitas
Corpora. Si Tellus animato prodiga partu
Effudit nullo cretam de ſemine Prolem;
Quî potuit vitam, quam non habet ipſa, dediſſe?
Quod ſi perpetuam gignendo Animalia prolem
Sufficiant, generiſque inſtent ſarcire ruinas;
Unde fit, ut refluo quum tandem gurgite Nilus
Detumuit, proprioque minor ſe condidit alveo,
Cruda puerperia exſiſtant, quibus altera nondum
Pars animata riget, pars altera prædita ſenſu
Dimidiatam Animam, & vitam gemit imperfectam?
Nunc age, mens, humilem hanc ſedem, terraſq; jacentes
Deſere, & excelſos Cœli ſpatiare per Orbes,
Præpetibuſque fugam molire per ardua pennis.
Dic igitur, num Sol celeri vertigine raptus

Fertur,

Fertur, & immotam Terram revolubilis ambit?
Aut ille in mediâ Mundi regione locatus
Otia agit lentus, Centroque immobilis hæret;
Dum Terra aſſiduo fertur circum incita motu,
Itque reditque vias, atque indefeſſa laborat?
Cernis, ut incerto palantes Calle Planetæ,
Nunc lento incedunt paſſu; nunc Orbe citato
Corripuere gradum: mox & ſubſiſtere viſi:
Dein Spatium emenſum relegunt Curſuſque relictos.
Cur non æquato paſſu, ſtabilique tenore,
Conſtantes peragunt motus? Incognita nobis
Incitat errones Lex? Aut ſine Lege vagantur?
Fruſtrà hîc Aſſyrius ſtolidi commenta cerebri
Et Patrias artes jactat: Fruſtràque figuras
Lineolaſque ſolo pingit: fictoſque Epicylos
Implicuit Cyclis, ingeſſitque Orbibus Orbes.
Dic quoque, num fœti nativâ luce Planetæ;
Seu potius radiis obnoxia corpora Solis

Furtivos

Digitized by Google

F[illegible] vos ignes, & non ſua lumina vibrant?
O[illegible]ni igitur, quando craſſis conſtant Elementis,
I[illegible]re[illegible]s paſcant Pecudes, Volucreſque, Feraſque?
Cur non & ſimilis nobis humana Propago
Hîc quoque naſcatur, quæ nec melioribus orta
Auſpiciis, nec quæ fuerit minus obvia curis?
Suſpice nocturni laquearia flammea Cœli:
Num tibi, Mortalis, Stellarum tanta ſupellex
Inſervit ſoli? Vili hâc funguntur opellâ
Officioſa Cohors? Tantone miſella ſuperbit
Terra ſatellitio, cunctis famulantibus Aſtris?
Quis ſcit an hæ (quamvis noſtræ penuria Mentis
Affixit Cœlis, unoque in fornice clauſit)
Sparſæ intervallis variis per inane profundum
Innumeros foveant radiis genialibus Orbes:
Et circum pulchrâ Terræ Lunæque coronâ
Volvantur, Soleſque ſuos, ſua Sidera noſcant?
Fruſtrà igitur numeros Stellis & nomina fecit,

Aſtraque

Aſtraque digeſſit certis concluſa figuris.
Chaldæus. Quin, Vane, gregem, & ſtabulantia paſſim
Armenta amoveas, Cœlumque his exue Monſtris.
Quo feror? Immenſique ultra pomæria Mundi,
Orbita quà nullo ducit veſtigia ſigno,
Per ſpatia infinita iter irremeabile tendo?
Deſcende, & propriam interius, Miſer, inſpice Mentem.
Quænam ea Vis, quæro, cœtum quæ conjugiumq;
Sortita eſt carnis terrenæ, atque uniter apta
Conſortem regit imperiis, & temperat Actus?
Unde genus ducit? Brutæne ingloria Terræ
Filia, coporeiſque audit conflata Elementis?
Compages Atomorum incerto concita motu,
Quam premit, & levat oppreſſam; ſolatur, & angit
Temperies Socii diverſa & mobilis Humor?
Quæ ſimul ætatis ſubiens diſcrimina, firmo
Robore nunc floret, nunc tardâ attrita Senectâ
Deficit: extremumque æternæ debita Morti
Succumbit, rurſuſque ſua in primordia cedit?

Seu

Seu potius genus æthereum & cœleſtis Origo
Eſt Animæ, Pater Omnipotens quam pendere pœnas
Incluſam juſſit tenebris & carcere cœco?
Hinc miſero hoſpitio duriſque addicta catenis
Reptat humi, celſique indigna atque immemor ortûs
Nil ſpirat ſublime, nihil feliciter audet.
Hinc cupit & metuit, dolet hinc gaudetque; nec unquam
Colluvie emergit, donec compage ſolutâ
Amolitur onus. Tandem eluctata cavernis,
Exuvias linquens fluxas molemque caducam
Emicat exultim, & patrias petit ardua ſedes.
Eſto, igitur: divina Animæ Natura reperta eſt;
Materiæ conjuncta, ipſa exors materiaï.
Quæ junctura ligat? Quæ tam contraria nexu
Fœdera conciliant? Unde hæc concordia diſcors?
Cur Animæ imperiis parent? Cur Membra faceſſunt
Juſſa miniſteria, & nutu famulantur herili?
Cur per Nervorum terebrata foramina motus
Undique ſenſiferi manant! Artuſne per omnes

Deditur

Diditur infuſa, & toto ſe corpore miſcens
Mens agitat Molem? Aut certâ ſtatione locata
Dum ſedet, accinctis tribuit ſua penſa Miniſtris?
  Jamne igitur ſentis quantâ ſub Nocte laboret
Noſtra dies, quam denſæ obtentus Nubis incumbret
Mortales viſus? Species Umbraſque fugaces
Sectamur caſſo ſtudio effuſoque labore;
Dum nunc ſubluſtres nebulas, lucemque malignam,
Nunc aciem querimur nimio ſplendore retuſam.
  Infelix, patrii lapſûs non immemor unquam
Jam ſacram compeſce famem; mentique repôſtum
Inſideat, quantas noſcendi dira Cupido
Excierit Strages; ut rapti injuria Pomi
Traxerit æternam ventura in ſæcula labem.
Nec toties falſâ deceptus imagine, ſperes
Ad vitam munire aditum; dum pervigil, Acer
Excubat ad portas, ſtricto qui fulminat Enſe
Angelus, & ſacros prohibet contingere fructus.

His

His igitur feſſam ſtudiis ægramque labore.
Solari Mentem, atque ultrices demere curas
Aggredior. Tentanda via eſt, quà læta Voluptas
Invitat: facili quà mollis ſemita clivo
Aſſurgens, hilares campos & amœna vireta
Deſuper oſtentat: Nunc, nunc, dum ſanguinis Æſtus
Luxuriat, lætoque ſalit Vena incita pulſu,
Exue pallorem ſeniumque, & dulcia carpas.
Dixi, atque Artifices Tyriâ de gente profecti
Accitu coeunt noſtro: Pars grandia ſaxa
Finibus advectat Libycis: Manus improba rupes
Excavat exhauſtas, terramque eviſcerat omnem.
Pars jubet antiquas deſcendere montibus Ornos,
Exciſaſque inſtat ferro convellere Cedros,
Donec odoratam Libanus deſideret Umbram.
Ardentes operi incumbunt: jam mœnia ſurgunt,
Jam turres, atque Aſtra minaci Mole laceſſunt.
Hîc Pictor vivos mentitus arundine Vultus,
In quaſcunque vocet dociles migrare figuras
Confundit

Confundit ſuccos, & pariete ludit in omni.
Hîc Sculptor, facili ſolers ſuperaddere torno
Aut Vitem, aut Hederas, aut flexi Vimen Acanthi,
Marmoreaſque trabes cælat, tereteſque Columnas,
Et rigidis laquear ſignis, atque aſperat Auro.
Nec non & noſtris peregrina vireſcit in Hortis
Sylva, atque ignotam fundit mirantibus umbram:
Nec non, nè fraudet cupidos anguſtus ocellos
Proſpectus, juſſos docui ſubſidere Colles,
Æquarique ſolo, vacuoſque extendere campos.
  Eheu! regifico conſtructa Palatia luxu
Non arcent miſeros agitatâ Mente tumultus.
Verùm impacatis uſque advigilantia ſomnis
Agmina curarum ſaliunt, ſpondâque ſuperbâ
Excubias agit Anxietas: per prata, per Hortos
Dum fugio, huc triſti ſeſe ſtatione receptat
Atra Comes, greſſuſq; premit, ſequiturq; fugacem.
Nec Citharæ ſonus, aut dulcis modulamina Vocis
Lenibunt tumidos curarum in pectore fluctus:

Quamvis manſueſcant, ponantque ferocia Tigres
Corda, ſonante Lyrâ: Quamvis tua carmina quondam
Lenierint furiis actum, Pater optime, Saulum:
Cura, tuo ſimilis Serpenti, cantibus aures
Obſtruit, & nullas Voces tractabilis audit.

Quid memorem amentem ſtrepitum, riſuſq; jocoſq;
Inſulſos, quoties Syrio perfuſus Amomo,
Et non regali crines cingente coronâ,
Solvere triſtitiam media inter gaudia quæro?
Quid memorem (pudet heu! memorare, & conſcia luctu
Mens refugit) quanto furiata libidinis Oeſtro
Pectora laſcivos motus, ſenſuſque pudendos
Concipiunt? Fracta ut paullatim elanguiit Ætas
Fœmineoſque greges inter turpeſque Catervas?
Interea menti deſuetæ obtuſior uſus
Fit reſidi luxu; perit omnis maſcula Virtus;
Et Regi decedit honos, dum Fœmina regnat.

Per varias Sortiſque vices, Vitæque colores
Contemplare Hominem; tandemque fatebere triſtis,

Læta

Læta quod exuperet major menſura Malorum
Jactanti fatale jugum; Vitamque per omnem
Gaudia ſinceros pariant fucata dolores.

Felix ille Animi, fortunatuſque, laborum
Qui tandem invenit finem, portuque ſubivit
Optato: hunc cæſi Lapides ſpirantiaque Æra
Victorem Vitæ oſtendunt. Felicior ille,
O nimium Felix, qui, nè quid tale videret,
Reddidit æthereas, modò quas acceperat, Auras.

Nullum igitur datur effugium? Via nulla Salutis
Reſtat adhuc? Reſtat. Facilis tu, Diva, vocanti
Adſis, Religio; & dubium per ſingula ducens
Aut fugere inſtantes doceas, aut ferre, Dolores.

In Obitum FREDERICI *Sereniſſimi* Walliæ *Principis:*

Ad Sereniſſimum GEORGIUM Walliæ *Principem.*

SPES, nuper altera, prima nunc *Britanniæ,*
Sic ille voluit ſummus omnium Arbiter,
Potens vel ipſis imperare Regibus,
Qui Regna juſto ponderans examine,
Hîc ponit apices, inde ſublatos rapit:
Dature feris jura quondam poſteris;
Dum facilis ætas patitur, & animus ſequax
Artes in omnes, diſce nunc præludere
Sorti futuræ; diſce nunc quid debeas
Patriæ, quid illa debitura ſit Tibi.
En! quanta ſeſe Laudis aperit area!
Perſona quanta ſuſtinenda te manet!

Deſideretur

Deſideretur ut minùs tandem *Pater*,
Gentis voluptas heu! brevis, longus dolor:
Hæreditatis jure cum ſceptro ut ſimul
Avita virtus in nepotem tranſeat.
Tu, deſtinatus imperare *Liberis*,
Parere priùs aſſueſce; inoffenſo pede
Dum lubricæ per ſemitam Puer'tiæ
Ducens volentem leniter *Mentor* tuus,
Primum eſſe civem, deinde Principem docet:
Generoſam & indolem, inſitamque vim boni
Cultu ſalubris diſciplinæ roborat.
Procul O! faceſſat; ſed tamen veniet dies,
Acerba, quamvis ſera; ſed aderit dies,
Quando *Ille* plenus Gloriæ, & vitæ ſatur,
Cœlo receptus grande depoſitum tibi
Tradet tuendum: in te gemens *Britannia*
Recumbet inclinata: tu pectus tibi
Caſus in omnes & virile, & Regium,
Ac par ſecundis, majus adverſis, para;

 Utrobique

Utrobique conſtans, & ſimile ſemper Sui.
Cuſtoſque juris civium, & tui tenax,
Regnare doctus; nec ſacri faſtigii
Oblitus unquam, nec tamen nimis memor;
Ingredere Cœlis auſpicantibus, Duce
Virtute, Famulâ Sorte, Comite Gloriâ.

In

Digitized by Google

In obitum Celſiſſimi Principis FREDERICI *Principis* Walliæ.

CLAUDE, Pater cœli, nimium reſerata [ſepulchra;
Claude, precor: pœnas gens ſatis una luit.
Vidimus attoniti, pullata per oppida mortem
Spicula vindictæ ferre miniſtra tuæ:
Illa diu exarſit, *Britonaſque* inimica gementes
Per terram ſtravit, per latus omne maris;
Illa, tuo in Proceres nutu graſſata, ſuperbas
Non evitando perculit enſe domos:
Ultimus accedit numero FREDERICUS; & Illum
Mortis ab invito tela Parente ferunt.
Claude, precor, jam claude, & ſit tibi cura, videmus
Brunſviciæ genti quod ſupereſſe, Caput:

Sit ſatis hunc cecidiſſe Virum, volventibus annis
Qui Patris in ſolio conſpiciendus erat.
Arbor ut in nitido præſtantior omnibus horto,
Quam Sol, cœleſti quam fovet imber aquâ;
Cui vigor ingenitus, cui ſuccos cura miniſtrat,
Exit ab irriguâ nobile germen humo:
Illi maturos jam jam decerpere fructus
Autumno Paſtor conveniente parat;
Cum gravis adverſo veniens Aquilone procella
Sternit, & à ripa proruit, unda ſuâ:
Sic primo, ſic & medio Fredericus in ævo;
Sic feſtinato funere raptus obit.
Non formanda tibi, venerabilis Umbra, juventus,
Vitaque preceptis erudienda Patris;
Non tua jam primo virtus properabat ab ortu,
Maturo poſthac nobilitanda die:
Sed rata ſpes nobis: tua Cæſaris æmula Virtus
Fulſit in Angliaco ſtella ſecunda polo.

Ergo

Digitized by Google

Ergo lugubrem *Brittannia* triſtis amictum
Induit, exequiis concolor illa tuis;
Et ſuprema tuo, Princeps miſerande, ſepulchro
Munera languenti fert Elegia manu:
Sed non & tanto reſpondet pompa dolori;
Nec par officio mœſtu Camœna ſuo:
Altius inſedit vulnus; perculſaque torquet
Corda repentino ſaucia facta malo.
Hæc &, ab oppoſito ſpectantes littore, *Galli*
Inviti plangunt funera; plangit *Iber:*
Sentit uterque ſibi quàm vana potentia; ſentit
Quàm brevis humanum terminet hora decus.
Nec tu, *Romà*, diu tanto lætabere damno:
Pone animos iterum; pone, ſuperba, minas.
Reſtat adhuc *Cæſar* furiis Papalibus hoſtis,
Qui tua victrici contudit arma manu;
FRED'RICI ſuſcepta toro manet inclyta proles,
Auſpiciis Britonas quæ tueatur *Avi:*

Semper

Semper erit, ſi quæ precibus fiducia caſtis,
Ex illo Angligenis fonte petenda ſalus.
Tuque, AUGUSTA, (ſacrum licet inter rumpere luctum
Difficile, & curis impoſuiſſe modum)
Reſpice Te, quæ ſis; quàm clarâ ſtirpe creata;
Reſpice *Saxonidûm* qui numerentur avi:
Alter in hoſtilem, pro te, Germania, Romam
Strenuus, & purâ Religione ſtetit;
Alterius decus eſt, ipſa inter vincula, belli
Fortiter adverſas ſuſtinuiſſe vices.
Reſpice Te, quæ ſis; Genetrix pulcherrima Regum,
Cura Britannorum publica ſemper eris;
Hîc Tibi erit requies: virtutibus *Anglia* debet
Hoc, AUGUSTA, tuis; hoc, FREDERICE, tuis.

In

In NONAS NOVEMBRES.

ANNUS in ſeſe ſua per Veſtigia Circ'lus
Vertitur; inſtaurant ſolennia Feſta Britanni,
Naſcentemq; diem, Perſarum more, ſalutant,
Lætitiæ fontem, cui Gens ſervata JACOBUM
Incolumem debet, defenſoremque WILHELMUM.
Grata oculis Lux, ſalve, a quâ feliciùs acti
Ordinat annales ævi, nullâque notatos
ANGLIA labe videt procedere lætiùs Annos.
O Patria, O Virtutum altrix, notiſſima famâ
Inſula, cui neque finitimi vis effera *Picti*;
Æmula nec tantum nocuit Gens *Gallica*, quantum
Mendax Religio, fucataque Crimina *Romæ*.
Ergò age funeſtos, *proles Ignatia*, circùm
Necte dolos; ſceleri nomen prætentet honeſtum
Religio; & fictæ ſpecies pietatis inauret;
At non hæc æquis, Populi cui cura *Britanni*,

Aſpiciens

Aſpiciens oculis, quibus aſpicit omnia, Numen
Occulto extinctum patietur vulnere Regem
Occidere, & gentem avulſis ductoribus orbam
Libera depulſis iterùm dare colla catenis.
Et ni ſuaſiſſet cæcas tentare latebras
Mens dextra, & cœli vigilâſſet provida cura,
Heu! ſemel abreptos communi funere Patres
Hauſiſſentque Ignes, inimicaque flamma tuliſſet.

En! iterùm, incœptis deſiſtere neſcia, ROMA,
Inſtauras ſacras fraudes, & furta retractas
Intermiſſa diù; miſero dum multa JACOBO
Debita promittens olìm cœleſtia Sceptra,
Ejicis Imperio exutum, ſceptriſque paternis.

At ſi non aliam venturo fata WILHELMO
Invenêre viam, ſi non niſi tædia paſſis
Servitii, tanta hæc dos eſt conceſſa *Britannis*;
Jam nihil, IGNATI, querimur; ſcelera ipſa Tyranni
Hac mercede placent: vinctos *Eccleſia* natos
Lugeat, ereptos *Libertas* ploret honores;

His

His ſuper injuſtum formidandumque Tribunal
Jeffresî accedat; multum tamen *Anglia*, multum
Debet, *Roma*, tibi, quòd debeat illa WILHELMUM.

His ergò impulſus Furiis contemnere princeps
Auguſtos, Regum queis clauſa Potentia, fines,
Brachia divulſis quærens exſolvere vinc'lis,
Nec jam furtivo meditatus crimine tantum
Diſſimulare nefas; ultrò tutarier auſa
Vi parat, & ſpretis opponere legibus arma.

At non hæc quondam Patriam ſperare jubebas,
Cùm primùm acceptos ſumſiſti, perfide, faſces:
Sed fore te, regeres æquâ qui Lege *Britannos*,
Et populum antiquâ qui Religione teneres.
Quid faceres? Nec ferre jugum intrectabile nóras,
Anglia, Servitio nec jam te exire licebat:
Nec jam te, veræ victus Pietatis amore,
Conjugis & mœſte lacrymis, GULIELMUS adeſſet,
Vindex Libertatis; Eo veniente, fugantur
Et Monachûm tenebræ & contuſa potentia *Romæ*.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe quoque in cymbâ, ſolitus dare jura profundo
Claſſibus, æquor erat, poſito diademate, Princeps,
Multùm aſtra incuſans, averſaque *numina Romæ.*
Jam patriæ fines & non ſua regna relinquit
Exilio triſti permutans; atq; ibi magnus
Miranduſque Cliens ſedet ad prætoria *Galli*,
Donec perjuro libeat vigilare Tyranno.
Sors miſeranda quidem! potuiſſent corda, *Jacobi*,
Si tua molliri, fleret cùm Eccleſia cultus
Mutatos, & vincta gravi ſub Religione
Tenderet invalidas tibi, perfide, non tua, palmas.

At tibi, NASSOVE, (æquorei licèt *Anglia* Sceptri
Te dominum læta agnoſcat,) pro laudibus iſtis
Non opis eſt noſtræ grates perſolvere, dignas
Sola dabit Virtus, & Mens ſibi conſcia Recti.
Hæc tamen apportent ſaltèm tibi dona Camænæ
More ſuo, & memori, ſi qua eſt ea gratia, verſu
Auriacum ſublime ferant ad ſidera Nomen.

In

In Nonas Novembres.

SIC tibi, quam medios atavi petiere per ignes,
Duret inextinctus Religionis amor;
Sic tibi ſit Virtus *Gallo* modo nota minaci,
Nota triumphato juſta per arma *Tago*;
Læta, precor, gratare *Novembribus*, Anglia, *Nonis*;
Et feſtam decoret publica pompa diem.
Audierat claſſem Præſul *Romanus* Iberam
Infami laceram vix rediiſſe fugâ;
Audierat fractas *metuendâ virgine* vires,
Votaque pro ratibus nil valuiſſe ſacris.
Occultos ergo movet irrequieta tumultus
Roma, per infernos inſidiata dolos.
Aſſentit Conclave; parat jam *Fauxius* artes,
Noctis inauditum dum tegit umbra ſcelus:
Fæta malo accepit nitroſam Curia peſtem,
Jam patriæ tumulus, jamque futura ſuæ.

Hæc

Hæc tamen omnipotens fecit Deus irrita, quum jam
Sulphurei inſtaret vis inopina mali:
Hic cœcum detexit opus; nec templa *Britannûm*
Deſeruit ſceleri proſtituenda pio.
At non audaci cedit furor impius hoſte;
Accendunt Italum damna priora trucem:
Altior exurgens, majoraque mente capeſſens,
Polluit inceſtis Regia tecta ſacris.
Ipſe ſuum decus & patriæ pia jura *Jacobus*
Gaudet *Papali* ſuppoſuiſſe jugo.
Reſpice, proh maleſane Nepos! exemplar Avitum:
Truncatum infami reſpice cæde Patrem;
Cernis ut in juſtas ſe ſuſtulit *Albion* iras?
In ſocerum *Auriacus* quæ movet arma *Gener*?
Bina ferent *Nonæ* Brittannis feſta *Novembres*:
Clade tuâ reſtat nobilitanda dies.
Ite, piæ fraudes! *Romam* petite; hìc ſibi fixit
Libertas certos non abitura Lares:

Auſoniæ

Auſoniæ quondam, quondam notiſſima Graiis,
  Exul in Angliacâ Diva reſidet humo:
Incerto talis, jamdudum erratica, fluctu
  Hæſit in Ægëis candida *Delos* aquis;
Nequicquam, firmante Deo, circumgemit æſtus,
  Et Nerei immotum verberat ira latus.

TARANTULA.

QUA nimis Eöis *Appulia* ſolibus ardens,
Uritur, indigenis hîc formidanda colonis
Dira habitat peſtis, cui ruſticus Incola nomen
Vicini poſuit ductum de ſede *Tarenti.*
Admirandum Animal! medicos cui ſpernere ſuccos
Natura indulſit, cui Toxica conſcia cantûs,
Morigeroſque ſonis dedit inſpirare furores.

Quiſquis es Italiæ peragrans hæc arva, viator,
Carpe viam ſecurus, hiems dum frigida pigram
Claudit humum, foveiſque ſepulta TARANTULA lucem
Aut fugit, aut vanam exercet ſine viribus iram.
Nondum etenim vires habuere venena nocendi
Maturas: tunc illa time, cùm dira malignos
Humores Æſtas ciet, & vocat undique peſtem.
Nè tibi tum mollis perſuadeat herba ſoporem

Ducere

Ducere per teneras ſegetes, patulæve ſub umbrâ
Arboris; incautum nè te nova vulnera cogant
Exercere choros cantuſque haurire ſalubres.
Præſertim ſiccas ubi rubra Canicula meſſes
Excoquit, haud ullo gens *Appula* tempore tantum
Inſanit; tremulis tunc undique cantibus Æther
Fluctuat, & medico ſtrepit omnis murmure pagus.

Ergo ubi ſe venis udo ſublapſa veneno
Implicuit Peſtis, penituſque per oſſa cucurrit;
Protinus in nodos ac denſa coagula Sanguis
Confluit, in raros ſimplex ſe Lympha liquores
Laxat, & incerto volitant libramine Nervi.
Indè Animo variæ ſpecies, ſimulacraque rerum
Irrita funduntur: querulo nunc murmure Lingua
Fracta gemit, nunc effuſo ſonat alta cachinno:
Mox toto diffundit iners ſe corpore torpor.
Fruſtrà herbis Medicus ſucciſque potentibus inſtat
Sollicitans; alias artes, aliumque Medentem
Flagitat, expoſcitque *Sonos* mirabile virus.

 Aſpice,

Digitized by Google

Aſpice, uti, dum prima novi tentamina cantûs
Dat Melicus, ſenſim ſopitos ſuſcitat artus
Æger humo; donec tandem firmatus ad auras
Emicat, & ſpretâ figit veſtigia terrâ.
Haud ſecùs *Amphion* proludens pectine chordas
Dum ciet, attolli lapides, ſenſimque moveri
Obſtupuit primò; mox undique marmora vidit
Confluere, ac ſubitis coaleſcere mœnibus urbem.

Nec verò cantus poſcit Furor omnis eoſdem:
Tympana miles amat; ſtrepitum ſtridentis avenæ
Agricola; at cytharam Matronæ mollior auris
Flagitat; à Fidibus Virgo petit ægra ſalutem.
Poſtquam quiſque ſuo aptavit modulamina morbo,
Idem omnes ſimul ardor agit; pede pulſa tremiſcit
Aſſiduo tellus, riſu ſonat aura ſoluto.
Dementes credas ſacra Orgia ducere Baccho
Mænadas, aut Pani Satyros ſaltare procaces.
Non Pudor innuptam potis eſt retinere Puellam,
Canities non pigra Senem; nec membra movere

Ruſticus

Ruſticus in numerum neſcit; vis inſita morbi
Componit greſſus ſpecioſæ more paleſtræ.
Noxius interea, tepefactus in oſſibus, humor
Æſtuat, & ſecum volvens ſecreta veneni
Semina, per reſoluta fluit ſpiracula Sudor.
Nec minùs aſſiduis tremulus concentibus Aër
Fluctuat, inque leves impacta ſonantia Nervos
Verbera totam agitant molem: labat impete crebro
Succuſſus Sanguis; mox ociùs ire per artus
Incipit, inque ſuum Fibræ remeare tenorem.

Si tua, ſi tali periiſſet læſa veneno
Eurydice, fidibus feliciùs atra canoris
Tartara moviſſes, *Orpheu*; nec mœſtus ad auras
Irrita fleviſſes inferni dona Tyranni.

Non tamen omne malum miſero, nec tota veneni
Semina decedunt venis; latet abdita Peſtis
Altiùs; & quoties rediens ſe adduxerit æſtas,
Apparent iterum reducis veſtigia morbi.
Tu memor anteveni Citharis, peſtemque rebellem

 Perturba

Perturba ſonitu, choreiſque ſalubribus inſtans
Excute, cedet enim toto de corpore virus.

Tandem etiam noſtros inſana TARANTULA fines
Attigit, inque tuos manans, *Brittannia*, natos,
Mira lues latè fudit contagia morbi.
Hinc Tramontanos cantus, voceſque petitas
Per mare miramur; tremulo hinc modulamine fractos
Poſcimus, exciſæ Veneris monumenta, ſonores.
Ite procul, molles, ſexûs ſimulacra virilis,
Quos Cithara & muliebris alit canor, ite per arva
Appula, per campos bacchataque rura choræis.
Quò rabies vocat indigena, & populare venenum,
Fœmineos illic cantus, citharaſque licebit
Exercere, illic medicis de more juvabit
Aſpirare choris, ægriſque afflare Salutem.

Rectè

Rectè ſtatuit Aventinus de Petrificatione.

QUA *Libya*, admoti radiis obnoxia Phœbi,
Infames monſtris campos deſertaque teſqua
Porrigit; hìc Urbem multos manſiſſe per [annos
Fama refert: coluit quondam genus acre Virorum,
Armorumque potens ſtudiis, opibuſque ſuperbum,
At nunc, æterno ſomni quaſi ſubdita vinclo,
Omnia tuta ſilent; non vox hominiſve feræve
Auditur: miſeram ſimul atque intraveris urbem,
Marmorea agnoſcis ſimulacra, & verſa virorum
In ſolidum miro duramine corpora ſaxum.

Unde nova hæc rerum facies? an, numine læſo,
Hoc ſubeat monſtrum populus; dic, Phœbe, ſuperbam
Qui quondam *Nioben* juſſiſti in marmora verſam
Stare laceſſitæ monumentum inſigne ruinæ?
An vento vires, tetriſque vaporibus inſint

Digitized by Google

Tam diræ? tantumne *Meduſæ* vendicet aura?
Scilicet afflatu, memorant, quos ille maligno
Spiritus attigerit, pecudeſque homineſque repentè
Concretum per membra ſimul traxiſſe rigorem.
At turbare ſitus, aut rerum vertere formas
Non datur: inceptoque & ſedibus hæret in iiſdem
Incola, quas habuit, cùm nondum invaſerat urbem
Saxificus turbo, & ſpirantes marmora venti.
Quippe figuram hominis decedens vita reliquit
In medio integram geſtu; extremumque laborem
Servat adhuc, operique intenta incumbit Imago.

Ergo hominum varios imitari ſaxa labores
Aſpicias vulgò; defunctaque corpora vitâ
Antiquas ſervare domos, veterumque tueri
Fortunarum habitus: neque enim ſors omnibus una,
Aut lapidum confuſus honos. Pars grandior urbi
Præſidet, & titulos ſub imagine geſtat honeſtos;
Compita dum ſtipat variis taciturna catervis
Deterior turba, & ſtatuarum ignobile vulgus.

Hic,

Hic, tibi ſi placeat tectis ſuccedere, & ultrò
Hoſpitium tentare novum, ſedet ecce! virorum
Turba; ſed intranti tibi nemo aſſurgere curat,
Molirive moram, aut veniendi quærere cauſas.
Fòrs inter ſeſe ſtrepitu convivia nullo
Umbræ hilares celebrant; convivaque luminis expers
Poc'la tenet tamen; ecce! apparet Imago jocoſa
Plurima per tectum, & circùm undique gaudia mutis
Vultibus impreſſa, & taciturni in marmore riſus.
Quin thalamos caſtæ licet invaſiſſe puellæ;
Fœmineoſque inter mirere ſilentia cœtus.

Nec vin'clis tenuiſſe ſuis genus omne virorum
Captivum ſatis eſt: effuſa licentia peſtis
Ulteriùs tendit; communique omnia ſorte
Urgit ſaxea vis, & inluctabile fatum.
Stant ſolidi ripis amnes; in ſpicula ariſtæ
Saxea dureſcunt teneræ: nec frondibus arbos
Decutitur, patiturve comam diffundere ventos.

Hìc ſubitò, dum Nympha ſuum fugiebat amantem,

Subſtitit

Subſtitit; ille, avidus collo dare brachia circum
Marmoreo, infelix medio in conamine torpet:
Uſque tamen ſimulacro infigit lumina caro,
Pygmalioneos fruſtrà mentitus amores.

Parte aliâ nitet inſtructis exercitus alis,
Ordinibuſque frequens; quem, bellum fortè parantem,
Stare loco juſſit, campoque infixit aperto
Obrepens ſaxum: necdum omnis gloria ceſſit
Armorum, nec pulſus honos; ſtat miles, & arma
Examines tractant digiti, ferroque coruſcant.

Nec verò hæ ſine Rege ſuo, ſine Judice ſedes;
Conſtrictus ſolio Princeps ſedet; ille ſilentûm
Concilium regit, & turbam ſupereminet omnem
Majeſtate gravi; pompâque ſuperſtite cinctus
Jam populos longâ placidos in pace gubernat.

Aliquiſque

Aliquiſque malo fuit uſus in Illo.

EX quo libratam ſuſpendit in aëre molem
Terrarum Deus, & juſſit per inane moveri,
Cuncta ſuum munus peragunt, nec inutile [quicquam
Orbis habet: Maria, ac Terros, Cœlumque profundum
Si penitus luſtres, oculis occurrit ubique
Divina Artificis manus, & Sapientia mira.
Ipſa etiam quæcunque hominum metuenda paventes
Sollicitant animos, non hæc ſine numine Divûm
Eveniunt, proſuntque Mala: hoc ſe cardine volvit
Natura, & rerum non enarrabilis ordo.

Ætherios oculo primùm circumſpice tractus,
Imbriferaſque domos Ventorum, & regna Diei
Lucida: nonne vides ut in æthera purget apertum
Si nubes, decoranſque novis ſqlendoribus Orbem
Purior eniteat Phœbus, ſimul igne curuſco

Intonûere

Intonûere Poli, & convexa Palatia Cœli,
Et Nemorum antiquas fregêre tonitrua Quercus?
Tempeſtas etiam ipſa Hominum famulatur in uſus,
Et Venti: En! cumulos Notus impete tollit Aquarum
Horriſonos, Boreæque undantes verbere Sylvæ
Procumbunt: viduis aliter genus omne Animantum
Deficeret Terris; corruptoque aëre Peſtis
Undique deſertis funeſta incumberet agris.
Scilicèt hinc agilis fit, ſtagranteſque vapores
Diſcutit aura fluens; flatuque exercitus Æther,
Mitis alit fruges, & Terras ſanior ambit.
Quin Pater Humanæ indulſit non omnia Genti,
Defectuſque juvant. Auri ſenſoria Numen
Imperfecta dedit, nimio nè Tibia cantu,
Neu Cithara irriguos violaret murmure ſomnos.
Nè menti fragor auditus, ne lapſus aquarum
Officeret, Zephyrique ſtrepit quæ flamine Sylva.
Nonnè etiam ſi cui ſenſus perfectior eſſet
Naribus, ingratos illi ſpiraret Odores

Thurea

Thurea Virga Arabum, & florentes veris honores?
Narciſſos quereretur, & halantes Hyacinthos;
Nec tantum hamatis nocuiſſe Roſaria ſpinis.
Finge oculos quales nec acuto Lyncea viſu
Serpenteſve habuiſſe ferunt, ut corpus Arachnes
Villoſum mirâ ſtupefactus imagine rerum,
Spectaret Sophus & tenues ceu retia telas,
Quotve ſub effoſſis animalcula parva latebris
Caſeoli poſuêre larem: quot nutrit acetum,
Horreret miſer, armatamque proboſcide muſcam.

Jam quæ Nilus alit, fœcundi rura Canopi,
Luſtra oculis. Rapidos toſto ſub ſidere Cancri
Siſtit equos Phœbus, curſu cùm paſcua verrens
Diluvies æſtiva vago premit agmine Aquarum.
Jam non alta petit ſeptena per oſtia flumen,
Sed tegit oppreſſos acies Neptunia campos.
Exultanſque animis, nactus ſecura Colonus
Saxa, triumphantes ex alto deſpicit undas.
Hinc nempè arentes ſucco pingueſcere ſulcos,

Atque

Atque optata videt ſata luxuriare; neque antè
Sollicitar foſſor verſata ligonibus arva,
Quàm latè obducto fœcundans omnia limo,
Per prata undanti ſtagnâret gurgite Nilus.

Nec tamen hæc cùm ſit torrentibus inſita virtus
Fluminibus, nihil humori contrarius Ignis,
Vulcanique juvant incendia: Fervida tollit
Flammarum Ætna globas; jamque atra volumina fumi
Cum pice, ſulphureos jam faucibus evomit ignes:
Fragminaque exeſæ rupis, ſua viſera, torquet
Cum gemitu: hinc omnis circùm vaſtata tumultu
Terra jacet; plangunt Vineta, boumque labores,
Pulſatumque cavo ſe pumice contrahit æquor.
Ni faciant, clade ac fatali fœta ruinâ
Intremeret tellus: ferventibus omnia flammis,
Sterneret Ignis atrox, & ſubterranea rumpens
Clauſtra, laborantis compagem ſolveret orbis.
Quin ubi ſubjecta agricolæ Vulcanius imber
Texerit arva; novas effætæ Incendia vires

Sufficiunt

Sufficiunt Terræ, & rident Cerealia dona,
Fortunata malo: hinc adeò Te, fertilis Enna,
Flora opibus decorat jucundo hinc gratia veri,
Et Siculæ Romana implent Granaria meſſes.
Quid memorem Strages, quid tela madentia leto?
Si nulli inſano, Martis fera caſtra ſecuti,
Confoſſi ferro occiderint, habitanda Colonis
Deficeret tellus, victumque exhauſta negaret.
Uſque adeò juvat Ambitio, juvat horrida Belli
Tempeſtas; prodeſtque ipſa intra funera Mavors.
Sic, nè plus nimio foliorum prodiga Vitis
Luxuriet, curvâ tollit capita alta Putator
Falce, ſalutifero compeſcens vulnere ramos.

Planetæ

Planetæ ſunt habitabiles.

DÆDALEAS arte pennataque membra volatu
Rapta ſuper nubes, trajectaſque æquoris undas
Remigio alarum jactavit priſca Vetuſtas,
Monſtrorum fœcunda parens: nunquam artibus illis
Humanam inſtruxit Divûm ſapientia gentem,
Fruſtra affectamus vetitis conſurgere pennis,
Æthereaſque intrare domos; vis inſita molem
Urget, cognatæque affligit corpora terræ.
Hinc quibus indigenis habitantur diſſita longè
Rura PLANETARUM, quoſve illis provida ſenſus
Natura indulſit, quas formas, aptaque membris
Corpora, Terrigenas latet, æternumque latebit.
Si qua fides vulgò *Gibboſus Homuncio* Lunam
Incolit, & crebrò cyathis uveſcit Iacchi.
Forſitan Atlanti ſimilis (qui vertice Sedes

Sidereas

Digitized by Google

Sidereas tollit) Gentes cervice ſuperbas
Suſtinet, inque ſinu magnas complectitur Urbes.
Compages Laterum ingentes Maria alta fatigant,
Turritamque terunt frontem; ſtant Tempora multo
Cana gelu, curvumque irrorant Flumina dorſum.
Quid referam ſimiles nævis in corpore Montes?
Quoſve Lacus oculi efficiunt; quæ littora naſus?
Ah miſer! hic ſi quis quaſſatam Nauta carinam
Inſcius impingat! non major in æquore Calpe,
Junctave Tyrrheno Rupes Lilybæa Peloro.

His ſimiles maculas toto nitidiſſima vultu
Diffuſas *Venus* agnoſcit; *Martemque*, *Jovemque*,
Linea multa ſecat, quas credimus eſſe Paludes,
Terraſque Oceani disjunctas impete Terris;
In quibus Halantes Herbæ, Fonteſque ſonori,
Et ſylvæ campos ditant; munitaque circum
Oppida, cumque ſuis conſurgunt mœnibus Urbes.
At quales, *Saturne*, tuos habitare receſſus
Indigenas dicam? nam Tu procul orbe remoto

 Supremus

Supremus peragis cœli per inane meatus.
Nullum ver unquam, placidive æſtatis honores
Arva beant; ſed triſtis Hyems, atque horrida paſſim
Frigora longinquo nequeunt miteſcere Sole.
Ne tamen æterno jaceant tua veſpere Regna,
Sole repercuſſos tibi ſuſcitat *Annulus* ignes,
Splendoremque auget: quin quâ tu cunque per auras
Incedis, Lunæ certis famulantur eunti
Ordinibus, gratæque miniſtrant munera lucis.

Nec vero, dum informe gelu triſtiſque Pruina
Cultores norunt, non eſt habitabilis Ardor,
Aut ſummi nequeunt fœtus nutrire calores.
Aſpice, *Mercurius* qua fervidus axe citato
In celeres rapitur gyros, perque Æthera callem
Antiquum renovat, fruiturque æſtate perenni.
Proximus illius dum *Sol* ſuperimminet orbi,
Vicinoſque polos torret Volcanius ardor,
Fortè alias fruges, diverſa animalia nutrit,
Quæ Tellus neſcit, nec mitior educat aër.

O!

O! felix Senibus ſedes! his exulat oris
Frigida Morborum rabies, effætaque ſemper
Membra calor genialis alit; non effera plebem
Languentem Quartana quatit, nec anhela fatigat
Tuſſis anus, denteſve ſenili extundit ab ore.

Cerne age, qua medius rerum Titanius orbis
Volvit inexhauſtum radiis crinalibus ignem.
Forſan & hæ ſedes, hæc torrida rura colantur,
Et Salamandrino irrigui per membra liquore
Indigenæ, medio cœli candore, fruuntur;
Quamvis centenus Phlegethon incendia torquet,
Et totidem ruptis ſtrident fornacibus Ætnæ.

Concipe jam faſtus, humilis Telluris alumne,
Et rerum te finge caput; tibi ſcilicet uni,
Natura inſervit; Te propter ſidera curſus
Aſſiduos peragunt, certiſque per ardua cœli
Volvuntur gyris, juſtoque errore vagantur.
Sic Parva aggeſto formica è ceſpite clamet,
Ut mihi ſub pedibus callis firmetur eunti,

Caucaſeæ tollunt umbroſa cacumina cautes:
Quæque hiat amfracto deſerta in littore Concha,
Ad Cœlum immanes ſcopulos conſurgere jactet;
Ut ſecura imis radicibus Ipſa quieſcat.
Non ita: nequicquam veteres longinqua magiſtri
Sidera tellurem circum ancillare putârunt.
Nunc alios paſſim in cœlo deteximus orbes,
Et ſoles alios: O! quantas Inclyte grates
Debemus, *Galilæe*, tibi! tu primus Olympi
Ferratas reſerare fores; Tu pandere regna
Lucida, mortales olim indignantia viſus,
Et ſine Theſſalico deducere carmine lunam.
Artibus his inſtructa Hominum ſolertia mundum
Explorat, major dum rerum naſcitur ordo,
Et latè ſtellata patent Laquearia cœli.

Nobilitas

Nobilitas ſola eſt atque unica Virtus.

DUM Patrem Patriæ *Ciceronem Roma* ſalutat
Quid refert *Cicero* quem vocet ipſe *patrem*?
Sit novus, Arpinas, ignobilis, & patre nullo;
Virtutis modo ſit Filius ille ſuæ.
Quid magnos prodeſt atavos jactare? *Cethegus*
Hos jactare poteſt; hos *Catilina* poteſt,
Dedecorat patres cinctutos alter; & iſtam
Sergia Gens ſobolem progenuiſſe dolet.
Ignotum Auguſtæ *Ciceronem* aſcribere ſtirpi
Quam vellet proavus magnus uterque ſuæ!
Scilicet eſt aliquid claris majoribus ortum
Egregiæ auctores laudis habere patres:
Clarius at fulget proprio qui fulget honore,
Quique ſuas laudes imputat ipſe ſibi:
Qui titulos Genti, quos non invenerat, infert;

Et decorat morum nobilitate genus.

Macte tuâ Virtute potens! Sic itur ad aſtra;

Artibus his verè nobilis eſſe potes.

Nobilis eſſe potes, caſulæ licet incola parvæ

Ignoto nomen de genitore trahas.

Quiſquis eris, generoſus eris: Virtutis honorem

Gens dare nulla poteſt, demere nulla poteſt.

Illuſtrem Virtute Virum non obruit ulla;

Obſcurum vitiis nulla nitere facit.

Vir Bonus eſſe potes: Clypeoque inſigne paternum,

Addere ſi nequeas; quod licet, adde tuum.

Oratio

Oratio Prophetæ Habbakuk.

AUDISTIS? an me vox trepidum metu
Luſit JEHOVÆ? O deſine triſtium
Tamdem minarum; parce, Judex,
Parce, Parens hominum, precamur.
Te Rex, ſuperbis vertere credimus
Clades triumphis: ſcimus ut arduæ
In teſqua deſcendens *Idumes*
Præcipiti per inane lapſu
Summo *Parani* conſtiteris jugo.
Latè coruſcis riſit honoribus
Diffuſus æther, terra circùm
Numine plena tuo refulſit.
Te Peſtis anteit lurida conſpici,
Te Mors, & omnis copia Febrium,
Flammæque, majeſtatis index,

Cingit apex radiis acutæ.
Tu menſor orbis, tu mare turgidum
Signare certis limitibus potens,
Tractuſque terrarum patentes,
Et liquidi ſpatia alta cœli;
Indiſſipatas fulminis impetu
Gentes fugâſti, regnaque triſtia,
Monteſque nutârunt ſupini,
Te ſolidas quatiente rupes.
Tu bellicosâ corripiens manu
Arcum, & pharetrâ fulgidus aureâ,
Æternus inceſſu patebas,
Perque humeros ſonuêre tela.
Vidi *Sabeæ* verſam aciem retrò,
Vidi paventes *Æthiopum* duces,
Cœcoſque caſtrorum tumultus,
Et trepidum *Madianis* agmen.
Quâ motus irâ, quâ rabie ferox,
Ignara ſiſti flumina dividens,

Pontumque

Pontumque, junxiſti frementes
Acer equos volucremque currum,
Vidêre; viſo te juga montium
Summis tremebant verticibus; tibi
Plaudebat aſſurgens aquarum
Diluvies, Dominumque rauco
Agnovit æquor murmure; te ſtupens
Multo decorum lumine, conſtitit
Defixus ipſe Sol; nec auſa eſt
Luna vago properare curſu.
Tu nota vibrans ſpicula vindicis
Haſtæ ruebas: nec mora, fulguris
Ad ſigna divini parabant
Ire tui comites triumphi.
Te grande genti præſidium tuæ,
Senſit remotis Barbara Finibus
Tellus, & iratis prophani
Sub pedibus cecidêre reges.
Magnum ille terrorem *Iſacidis* cohors

Collecta

Collecta ritu turbinis intulit,
Auſique dementes triumphos
Iſacidi proceres *Canopi*
Spirare: ſed quid *Memphis* inhoſpita,
Auctore fidens *Apide*, quid *Phari*,
Contra JEHOVAM poſſit hoſtis
Cum ſceleris duce fraudulento?
Ipſa alta rubri mœnia gurgitis
Montes profundi tranſiliit Deus:
Curruque ſublimis ſecundo
Per tumidas equitavit undas.
O quâm minaci murmure territas
Perſtringis aures! hauſerat intimas
Frigus medullas; cor pavore
Subſiliit trepidum recenti;
Torpenſque labris lingua recentibus
Adhæſit! O Quis, qui procul ultimis
Me ſiſtet oris, & futuro
Protegit eripiens tumultu?

Ficus

Si nulla verno flore ſuperbiat
Ficus, nec uvæ purpura lividos
    Ornet per autumnum racemos;
    Termite ſi ſterili virentes
Fallant olivæ, raraque paſcuis
Armenta deſint; ſi ſegetes ager
    Mendax recuſet, non carebit
    Laude Deus ſolitâ, mearum
Tutela rerum: non alio Duce
Montes in altos tollar, & ocior
    Cervo triumphantes catervas
    Effugiam per acuta belli.

Digitized by Google

Recte ſtatuit NEUTONUS *de Luce & Coloribus.*

CÆRULEAS Divûm ſedes, penetralia vaſta
Ætheris, & Pelagi fluctus, ſylvaſq; domoſq;
Näiadum virides formavit mira Poteſtas,
Signavitque humiles vario diſcrimine Terras,
Quaſcunque in mundi partes convertimus ora
Mirantes, animo fert oblectamina, quicquid
Aſpicimus, nequeunt expleri corda tuendo.
Unde tamen vis hæc? quæ tam fœcunda *Colorum*
Cauſa fuit? nitidos quis opacis rebus amictus
Induit, ornatuque dedit ſplendere decoro?
Nam neque Parrhaſij fuco, neque Zeuxidis arte
Proveniunt: mira hæc finxit Cœleſtis Apelles,
Omniaque Artifici debent exordia Luci.
Illa plagas Cœli liquidas, Illa, æquora Ponti
Implevit radiis, texitque coloribus orbem.

Hinc

Hinc variæ apparent ſpecies, rerumque figuræ;
Hinc decor & nitidæ laſciva ſuperbia Scenæ.

Eheu! quanta olim tenuit Nox omnia! Qualis
Caligo ſuper incumbuit! cùm luridus Hades,
Cum Chaos & Fatum, Caſuſque incertus habebant
Cuncta ſub imperiis. Nondum Incunabula Mundi
Surgere, nec poſitâ coaleſcere ſemina lite
Juſſerat Omnipotens: ſed late obnubilus Horror,
Umbraque regnavit triſtis, confuſaque Rerum
Congeries, ſecum diſcors: nec erat Color uſquam
Nec decor: at tandem per opaca ſilentia Noctis
Emicuit Cœleſte jubar; nubemque profundam
Diſpulit, & Ditis patuere informia Regna.

Ingemuit lugubre Chaos: centumque per antra
Plangenti totidem ſuſpiria reddidit Orcus,
Tum procul enituit Mundi naſcentis Imago
Pulchra, nec ulteriùs latuit ſubmerſa tenebris
Inclyta Naturæ Facies; Lux aurea paſſim
Effulſit, Campos pingens & cærula Divûm

Atria.

Atria. Nevè olim Radiorum copia Terris
Deficeret prudens ventura in ſæcula Numen
Conſuluit, vaſtumque orbem ſuper ardua Cœli
Ire vias juſſit certas, & cuncta fovere.
Scilicet hinc largo deſcendit flumine Solis
Illibatus honos; Natura hîc provida ſervat
Fœcundos *Lucis* latices, Fontemque perennem.

Quis tamen expediat fando, quam præpete curſu
Deſcendunt Radii? tali non turbine fertur
Alituum pennata cohors; non ſtridula Parthi
Spicula, non fundæ Balearis verbere plumbum:
Nec ſuper Arctoas Gentes, Scythiamque nivalem,
Ventorum præceps furor alatæque Procellæ:
Aërii quantum Paſtor de vertice Saxi,
Intuitu late emenſus Cœlum, Æquora, Terras,
Proſpectat ſpatii; rapido Lux impete tantum
Conficit erumpens, niſuque ſupervolat uno.
Aſt ubi jam noſtras hoſpes nova fertur in oras,
Multas ægra vices patitur, remoramina multa;

Corporibus

Corporibus paſſim offendens; tamen inde profectus
Exoritur *Color* omnigenus; Rerumque venuſtas
Egregia ex vario Lucis modulamine ſurgit.
Hinc quoties tabulas oculorum Lucidus imber
Irrigat, in fundo apparet Pictura fidelis,
Umbræque exiles, Rerumque imitamina parva.
Et quoniam Capiti præfixit lumina Numen,
Præſidet hic Anima, & celsâ dominatur in arce.
Perque oculos longè, tanquam per aperta Feneſtræ
Proſpicit, Oceanique vias, Campoſque patentes
Metitur. Magnas Terrarum hinc Incola formas
Concipit intuitu. Sublimi hic vertice nutant
Aërii Montes; vaſtis anfractibus illic
Curvatur, fauceſque immani pandit hiatu
Vallis opaca, ſinus non infœcundus Aquarum.
Nigrantes ibi Sylva comas, impervia Phœbo,
Explicat; hic prono deſcendunt Flumina lapſu
Eurotas, Phaſiſque vagus, Regumque Choaſpes
Aſſuetus Pateris. Acies ſic omnia viſu

Prendit

Prendit & in parvo referuntur cuncta Theatro.
Expediant alii, quorum Mens ardua callet,
Affectus *Lucis* varios; queis didita paret
Legibus, & quæ vis detorquet Tela Diei
Obvia, perque Auras devexo tramite mittit.
Cur Lux, impediat ſi vitrea lamina curſum,
Refractos patitur radios; at in aëra rurſus
Erumpens, notâ fertur regione viarum.
Denique cur *Zemblæ* tenebroſa ad Littora Titan
Apparet citiùs: cur Lunæ orientis Imago
Major, & Aſtra gelu cur ſcintillare videntur?
Hæc alii: neque enim cauſas evolvere Rerum
Abſtruſas vates potis eſt: ſatis ille Diei
Quod celebrat decus, & dono fungatur inani.
Ergo ubi conſumptâ diſcedere nocte Tenebræ
Incipiunt, dubius cùm jam rubor indicat Ortus,
Quis mihi primitias referat, quis carmine Lucis,
Naſcentemque Diem? quin O! quicunque Sopori
Jam piger indulges, & ſomni protrahis horas,

Surge

Surge age, jam lecto malè creditur: aſpice, pallent
Sidera. Luciferi jam ſtella evanida cedit.
Qui Nitor! Oceani qualis Deus aureus undis
Emicat! O quis me Aëriæ ſuper alta Pyrenes
Siſtat agens, ut Solis Equos currumque volucrem
Intuear, radiis cinctum & flammante Pyropo.
Jam ſuper Imai nimboſa cacumina Montis,
Per juga Caucaſeæ Rupis, gelidumque Niphaten,
Incedit; Nymphæ circum famulantur & Horæ,
Et manibus torvos gaudent tractare jugales.
Ante alias longe Pallantias humida pennas
Explicat, & bibulam geniali aſpergine terram
Fœcundat veniente die: circum undique Valles
Irriguæ rident, Montanaque culmina rore.
  Interea in Sylvis reducem pia Turba Volucres
Gratantur cantu Solem: latèque reſultant
Mugituque Boum & Venantum vocibus Arva.
At Nemorum portenta pavent, dumiſque ſub altis
Tecta latent: feſſum recipit ſpelunca Leonem,

 Corporaque

Corporaque Hyrcanæ ponunt immania Tigres:
Hic Lucem ſomno ducunt, ſuper oſſa cubantes,
Oraque collambunt putri ſtillantia Tabo.
Et tu, cui tacitâ ſudant Præcordia culpâ,
Quicunque inceſto paſcis ſub pectore vulnus,
I, fuge, qua ſeſe pandit via: quære latebras,
Et caput inviſum velet circumfluus Horror.
Sed tibi quæ ſedes Erebi ſatis ima dehiſcat,
Adventante Deo: reteget ſcelera Ille nefaſque,
Et commiſſa trahet dias in luminis auras.
Aſpice, uti immitem condit Sicarius enſem,
Ut Fratris trepidat perfuſus ſanguine Frater;
Infantumque Magæ nocturnâ cæde calentes
Horrent, deprenſuſque inopino lumine Latro!
O! Jubar Ætherium Cœli, O Clariſſima ſalve
Gloria: Tuque adeo radiis vallate coruſcis
Phœbe, Parens Lucis: cui non tua munera fando
Audita, aut quem non Virtus vulgata per orbem?
Quis juga Parnaſſi neſcit; quis florea Cyrrhæ

Culmina

Culmina, & errantem circum maria omnia Delon?
Tu Tenedon ditione tenes: Tibi Caſta Sibylla
Servit; & immani Vates bacchata ſub Antro
Delphica: Te Rupes & conſcia Saxa loquuntur.
Quid Tibi Thebaicæ referam Telluris Alumnum
Memnona, & elicitas facundo è Marmore Voces?
Te fortes coluere Dahæ, Genteſque Sabeæ,
Bactriaque & Medi, vicinaque Perſidos Arva.
Hi Dominum agnôrunt Solem; flammaſque ferebant,
Muneraque, & ſummis poſuere in montibus Aras.
Heu! quid enim ſine Te proſunt pulcherrima Divûm
Dona? quid egregios verno ſub tempore ſeſe
Induit in flores Tellus? cur prodigus herbis
Dædaleis laſcivit ager: nec gratia rebus
Te ſine, nec Species ſupereſt: perit ilicèt omnis
Extinctus *Color* in tenebris; rerumque Venuſtas
Indiſcreta jacet. Tu ſolus Ruris honores
Exprimis; & pulchros in lucem educere gaudes
Naturæ partus, varioſque aperire labores.

Per Te, quicquid habet Mundus mirabile, nobis
Scire datur: Gentes nequicquam interluit æſtu
Vicinas Pelagus: Tu das ſuperare Viarum
Ardua, & obtutu Seſton conjungis Abydo.
Nec maris anguſti tantum diſcrimina ſolers
Decipis, Oceanique vias; Tu Sidera Cœli
Subjicis Humanis oculis, & diſſita longè
Das ſpectare loca, & Dias inviſere Sedes.

Nativâ hinc quamvis ferimur gravitate deorsùm
Ad loca ſenta ſitu, Ditiſque inamabile Regnum,
Mente tamen ſurſum rapti ad ſublimia, molem
Exuimus terrenam, Animoſque æquamus Olympo.

Appius

Colonia GEORGIAM *Deducta.*

DUM ſonitu armorum toto *Germania* Rheno
Turbat, & effuſum Scythicis Examen ab [oris
Diſtrahit ambiguo Martis diſcrimine gentem,
QuemDominum accipiant,quem regna Arctoa ſequantur
Suſpenſam; Te pace tuas extendere laudes
Magne juvat CÆSAR; tibi præmia nectit olivæ
Gloria ſede vacans, caſſique cruore triumphi.
Te ſibi Patronum ſupplex Europa requirit,
Arbitrio commiſſa tuo: Te vindice lites
Componi gaudent, ſuſpenſo Marte, Tyranni.
Albion interea, medio turbante tumultu,
Inconcuſſa armis, nulloque exercita bello,
Pacem agitat, ſecura volat ſuper æquora Claſſis,
Seu gemino faciens mundo commercia, portet
Indiam in *Europam*; *Britonum* ſeu fata Colonis

In Patriam tendat diverſo ſole calentem.
Fortunate nimìs Princeps! cui ſceptra volentes
Permittunt populi; cui dives *America* terràs
Pandit, & agnoſcens, quos parturit, *Anglia*, cives
Gaudet adoptivo ſacrari nomine Gentem.

Sancta ſit illa Ratis, quæ prima per æquora ponti
Ignotas ſulcavit aquas, tetigitque, Columbo
Auſpice, litora adhuc nullis conſpecta carinis.
Talem Pellæo juveni ſi fata dediſſent
Æqua virum, lacrymis tellus conceſſa fuiſſet
Altera, creviſſentque novo parti Orbe triumphi
Salve, Heros, per quem Mundi non ultima *Thule*
Terminus obſtat adhuc; per quem ceſsêre Profundi
Clauſtra, novaſque patens terras Natura retexit.
Non fera Monſtra Maris, facies non ulla peric'li
Impediit, quin te *Herculeas* ſuper uſque *Columnas*
Vivida mens raperet, noti extra limina Mundi.

His ducti Auſpitiis, atque hæc exempla ſecuti
Hiſpani tenuêre ſolum ditione ſuperbâ.

Quid

Quid memorem infandas cædes? Scit *Mexica* tellus,
Scit *Peruana* domus; fuſcis viduata colonis
Arva jacent, denſiſque horrent loca ſquallida dumis,
Quà ſteterant Urbes & celſa palatia Regum.
Tu ratione aliâ mittis, Gens *Angla*, colonos;
Te non ſacra fames auri, Regnive libido
Invitat, ſed Relligio fideique ferendæ
Ardor agit, caſtique urgent Pietatis honores.
Nunc etiam extremis *Reges* è finibus ipſi
Inviſunt *Britonas*, ipſi ardent fœdere jungi,
Cognatamque vocant ultrò ad ſua limina gentem.
Namque ferunt, cùm civilis Diſcordia *Cambros*
Diſtraheret, patriis MADOCUM ceſſiſſe volentem
Imperiis, fœdi vitantem incendia belli,
Quærentemque novas ſedes atque extera regna.
Illum adeò perhibent longinqua per æquora vectum
Oceano tentâſſe viam, curſuque ſecundo
Delatum, felix quos pandit *America* portus
Intrâſſe, & nautis Urbem fundâſſe *Britannis*.

Priſca fides facto, ſed fama obſcurior annis.
Ergo agite, O juvenes, queis intus corda caleſcit
Virtus digna patrum, & ſolido ſtant robore vires,
Pandite vela mari, ſuadet dum pandere ventus
Aſpirans, patriiſque iterum ſuccedite terris.
Jam nunc *Hiſpanæ* gentes, cultorque *Canadæ*
Adventus horrent veſtros; Jam *Mexica* Tellus
Contremuit, fulvoque timens *Peruana* metallo:
Ite animi egregii, fortunatique laborum,
Neu dubitate novos, emenſi claſſibus æquor,
Explorare locos, Cæsar quos ipſe tuetur
Auſpicio, & lætam præſenti numine ſpondet
Fortunam; Vobis ſedes ibi Fata beatas
Oſtendunt, illic fas altera ſurgere regna.

Fœda diu jacuit, nullaſque exculta per artes
Georgia, neglectæ nec honos nec gloria terræ
Ulla erat, inſignem quam nunc ſuper æthera Fama
Evexit, tanto poſtquam dignatus honore
Ipſe ſuo Cæsar ſacravit nomine gentem.

Heſperidum

Heſperidum quales, quarum meminêre Poetæ,
Inſulæ Oceano in magno, quas prodiga donis
Ornavit variis Natura, opibuſque beavit
Omnigenis; talis tibi, GEORGIA, viſit amœnos
Dia Salus campos, & pleno Copia cornu.
Pinguia non lædit culta illætabile frigus,
Gramineoſve urit fœtus, quos vere perenni
Jupiter æquus alit, ſemperque innubilus Æther
Integit, & large diffuſo lumine veſtit.
Incola non queritur vicini ſideris æſtus,
Ardentemve diem, Zephyri dum mollibus auris
Lenè favent, vincuntque tepentia flamina Solem.
At procul hinc rabidæ Febres, Letique miniſtri
Pallentes habitant morbi: Quin ipſa Senectus
Limina vix audet ſacratæ accedere Sedis.
Ver viget æternum; cum fructibus incola felix
Perpetuo fruitur florentis vere Juventæ.

Aſpice ut Arctoas habitant qua frigora glebas,
Seminibus jactis tardè ſeſe efferat Arbos,

Eluctata

Eluctata ſolo, pigrâque annoſa juventâ
Succreſcat, ſeris factura nepotibus umbram.
Non ita, quà Phœbi propior genitabilis ardor
Igne fovet campos, vireſque animoſque miniſtrat
Ardenti glebæ; vix vomere rura recluſit
Cultor, & effoſſis mandavit Semina ſulcis,
Cùm nova continuò naſcens prorumpit humo ſe
Planta, ſecuta manum; nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis frondentibus Arbos,
Jamque miniſtravit bibulis cultoribus umbram.

Quid referam aurato fulgentia cortice *Mala*,
Ambroſios fœtus? quales *Atlantis* in hortis
Crediderim in ſomnem *Heſperidum* ſervâſſe Draconem;
Quales Virgineos fulgore morarier artus,
Et Juveni optatam poterant donare Puellam.
Nulla quies, quin aut teneris ſeſe induat Arbos
Floribus, aut Pomis ramos incurvat olentes
Maturis: uno avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcunt vimina fœtu.

An

An memorem, ut preſſos figat propaginis artus
Admiranda Arbos; teneros ut vertice alumnos
Effundat; ſubtuſque ſolo radicibus actis
Mille ſuâ referat Mater plantaria terrâ?
Sic ubi in externas *Brittannia* provida Gentes
Emittit natos, vires animoſque Colonis
Sufficit Ipſa, opibuſque ſuis ditatque fovetque.
Sæpè ſub ingenti palantem tegmine ſylvæ
Paſtorem perhibent fruſtra tentare per umbram
Nunc hos nunc illos auditus, illudit opacæ
Arboris indeprenſus & irremiabilis error.

Aſpice per lucos, ubi frondet plurima, Plantam
Thiſbeæ memorem cædis, cui ſanguis amantum
Punicea intinxit nigranti poma rubore,
Cuique ſuus manet Albor adhuc, & Candor honeſtat
Virgineus, teneræ qualis ſedet ore Puellæ.
Utraque fruge ferax, largam dabit utraque meſſem;
Hinc labor, hinc laudem *Angliaci* ſperate coloni.

Eſt

Eſt genus in ſylvis *Tiniæ*, cui nomen agreſtes
Bombyci poſuêre: illi non Jupiter artes
Indidit exiguas, tenuis nec gloria fertur
Ingenii. haud illi telas opponere *Arachne*,
Muſcarum inſidias auſit, licet æmula quondam
Lanificam movit dubia ad certamina Divam.
Tu modò nè dubites alere, atque impendere curam:
Nec magnus curare labor: tu rite memento
Moliri ſedes, atque intra tecta referre,
Quò neque ſit ventis aditus, neque frigus acerbum
Creſcentes lædat, Phæbi aut penetrabilis ardor.
Omnia quæ vigili tibi erunt proviſa labore,
Si te digna manet divini gloria *Vermis*.

Contemplator item, ſylvis ubi plurima ſeſe
Induit in frondem *Morus*, gemmaſque virentes
Explicuit. Tum ſtringe comas, tum virgea primus
Pabula ſufficiens, plenis appone caniſtris.
Continuò dapibus *Bombyx* incumbit, & acri
Attondens morſu filis alimenta futuris,

Diſtentam

Diſtentam folia hæc Thiſbëia mittit in alvum.
Aſt ubi jam Lunæ proceſſit tertius Orbis,
Continuò eſt ălius Saturis color; aurea fulget
Pellis, & incluſam prodit tranſlucida telam.
Plaude, Colone, tibi, jam nunc tibi tempora meſſis
Adventat, jam nunc merces ſperata laborum
Digna aderit, cultuque ibis ſpectabilis aureo.
Congeſtas, en! promit opes, fœcundaque filis
Viſcera devolvit *Bombyx*, ultròque laborem
Exercens, mediæque latens glomeramine telæ
Stamina deponit, fingitque tenacia fila.
Nec priùs abſiſtit, tereti quàm vellere clauſus
Totam ſe condat, vitamque exhalet honeſtam;
Tantus amor laudum, & fatalis gloria telæ.
Jam calathis aſſueta manus, operoſa Minervæ
Ritè globos Virgo devolve ſequacia fila.
Sic tibi, cùm *Tineæ* exuvias induta nitentes
Ingrederis, creber paſſim ſuſpiret Amator.

En

En erit ut videam, ſpoliis *Bombycis* onuſtas,
Angliacas olim remeare ad littora Claſſes?
En erit, ut molles, quas vana *Lutetia* mittit,
Quaſque *Subalpini*, faſtidiat *Anglia* veſtes?
Cernere jam videor, jam ſpe præſumere tempus,
Cùm Patrias Virgo diſcet mirarier artes,
Et ſolos poſcet, ſua quos dat Georgia, cultus;
Georgia fortunata, bono quam numine Divi
Omnibus ornatam voluere excellere rebus.

Hîc quibus incubuit Paupertas aſpera, quoſque
Sæva Superſtitio patriis exegit ab oris,
Inter opes medias nunc & nullius egentes
Libertate ſuâ, atque optatâ pace fruuntur.
Sudet avarus *Iber*, proprior quà Sirius ægram
Torret humum, auriferaſque manu rimetur arenas,
Pallidus aut imæ penetret per viſcera terræ,
Ut bibat argento, luxuque alimenta miniſtret.
Invida non iſthæc obliquo lumine limes
Georgia, non ullo cui ſollicitata labore

Fundit

Fundit humo victum facilem lætiſſima tellus.
Cui *Savanna* fluit, dulcique uligine campos
Inſtaurat pingues, atque ubere ditat arenâ.
Macte animis, cultor, quoties oſtendit opimam
Meſſem annus, quoties foliis uberrima *Morus*
Frondeſcit, toties menti tibi ſurgat imago
CÆSARIS & PATRIÆ: nunquam Cuſtodibus illis
Gallorum incurſus acres, *Indive* rapinas,
Aut impacatos a tergo horrebis *Iberos*.
Mox ubi jam firmata tuis acceſſerit ætas
Viribus, incipies acri quatere oppida bello
Mexica, vicinis jam formidandus *Iberis*.

Sic teneros primo naſcentes vimine fœtus
Arboreos nutrit Cultor, pecudumque malignos
Avertit morſus, donec jam firmior ævo
Planta ſuas habeat vires; tum ad ſidera raptim
Vi propriâ conſurgit, opiſque haud indiga floret.

Undique

Undique viſendi ſtudio Trojana Juventus
Circumfuſa ruit. ——————————

LAMPADE *Phœbeâ*, radiorum fonte perenni
Lux oritur, liquidumque levi curſu Æthera [tranat
Hinc derivatus noſtro tranſmittitur Orbi
Omnigenus *Color*, & ſpecies nitidiſſima rerum.
Hinc ſplendor Gemmarum, & florida Gratia veris,
Hinc pictaturatæ nubes, & Templa Tonantis
Cærula : nempè oculis fluidæ vis aurea *Lucis*
Plurima ſe offundit, texitque coloribus auras.
Quàcunque aſpicias, ſuavis ſe oſtentat Imago.
Omnia per Cœlum, Terraſque, atque Æquora Ponti
Suavitèr arrident ; Acies tamen improba poſcit
Plura dari ; nequeunt expleri corda videndo.
  Primùm ergo Novitatis amor mortalibus udum
Fecit iter maris, & Solidæ Telluris Alumnos

Impulit

Digitized by Google

Impulit in fluctus: Gentili excedere terrâ
Gaudentes, interque undas interque Procellas
Aëris externi patiuntur frigora nautæ,
Excoctoſque artus alieno Sole perurunt.
Ille ad Lilliputas fertur ſomnoque ſolutus
Exiguum Martem, vincliſque innexa puſillis
Miratur membra, errantemque in pectore gentem.
Qualitèr innumerum per terrea caſtra laborat
Formicarum agmen, ſterilique in pulvere vivit,
Mox populum horreſcit cœlo capita alta ferentem
Et greſſum immodicum, & ſublata tonitrua vocis.
Omnia vaſta videt: ſtat graminis horrida Sylva;
Stat nemoroſa ſeges, centumque aſſurgit in ulnas.
Miratur ſtirpe ingenti ſublime Papaver,
Candidaque incluſus ſæpè inter Lilia dormit,
Miratur violarum umbras, molemque Hyacinthi:
Sæpe etiam ſomnos turbavit murmure Crabro
Increpuitque minax caudâ, penniſque coruſcans:
Monſtrum horrendum ingens tamen his ſe oblectat [ocellus

Mirandæ novitatis amans, fruiturque perîclis.
Quin majora iſtis ſpes ambitioſa videndi
Moliri docuit, rapuitque in Sidera Cœli.
Namque ubi nox tenebris terrarum amplectitur orbem,
Cœli obſervator convertit ad Æthera vitrum
Intendens oculos, propiorque aſpectat Olympum
Artifici viſu, & ſolerti fraude Tuborum.

At Corydon rudis Urbanæ miracula Turris
Viſit, & ingentes formas ſævire Leonum
Attonitus ſtupet; externis terroribus aures
Implet, & exterbat Thameſin ſonus horridus Indi.
Ah! quoties timido aſpectat Muliercula vultu
Muſæum, *Rhedicyna*, tuum? exanimeſque Dracones
Erexiſſe alas, & ſibila ſæva ſonare
Pallens credidit, & tremefacta repente refugit?
Iſta tamen mulcent blandâ formidine pectus
Viſa, & Lætitiæ par eſt menſura timori.

Nec minor è viſu modo noſtræ accrevit *Etonæ*,
Exhauſitque domos pueris inſueta voluptas.

Undique

Undique corripuêre gradum: via toto popello
Infremuit, ſervæque ſuas liquere culinas
Immundæ, & latè pingues odor imbuit auras.
Venere artifices: tardi venêre Coloni;
Ipſe unctâ Tonſor venit de cote protervus;
Bibliopola etiam venit: Portenta videndi
Tantus amor, tanta eſt oculorum inſana libido.
Indos conſpectare juvat, juvat ora tueri
Mixta notis belli, ſævumque gerentia martem;
Veſtitumque aureſque decoro vulnere ſciſſas.
Ante omnes *Princeps* animo maturus & ævo,
Majeſtate rudi, torvoque inceſſit honore.
Criſtatum decus, & pennarum candidus ordo
Ornavêre caput; rubuit ſpectabilis oſtro
Veſtis; & ipſe ſuos ſtupuit Rex barbarus Indos,
Ardentemque auro ſeſe, ardentemque *Senauken*,
Inſignemque novo cultu, ſpem gentis, *Iulum*.
At Pueri magnâ acclamantes voce ſub auras
Jactavêre ſonos lætos; ſonuêre Minervæ

Inferior ſedes, atque altæ Tecta Paleſtræ.
Vix excepturos tanto clamore Britannos
Cæſaris aſpectum, Teque O Pia Cæſaris Uxor,
Crediderim: Quippè ora nigri deformia Regis
Commendat novitas jucunda, & rarior uſus.

Invicti

Digitized by Google

Invicti membra Glyconis

TERRA olim ingentes Heroas prima ferebat
Atque mares animos Juvenum; tum Quiſque labore,
Confirmare artus; tum tendere fortiter arcu
Spicula, & ardenti ſe audebat credere Pugnæ.
Hinc tot Cæſorum funeſto corpora Marte
Contudit *Alcides*; hinc ſævæ penſa novercæ
Protulit, & multis ſtetit inſuperabilis unus,
Nequicquam *Antæo* moles, maternaque cura
Profuit, incaſsùmque fremens membra horrida *Cacus*
Vincenti oppoſuit, flammaſque immiſit in hoſtem.

Quid memorem Reges, ſpectataque Pectora bello
Heroum? ſolus *Sampſon* in milliâ fertur
Impiger, externumque ardentibus excitus iris
Deturbat tecti poſtes, ſubitâque ruinâ
Involvit trepidos hoſtes, moriturque triumphans.

At quorsùm veteres laudem? cur improbus omnem
Virtutem extingui credam, penitùſque vigorem
Corrumpi patrium; Terris jam nobilis *Anglis*
Alcides en! *Alter* adeſt: tanto eminet ingens
Robore, & invictæ præſtant in corpore vires.
Ergo artes memorant populo, glomeratque tumultum
Sedulus: en! coëunt turbæ, ſubſellia paſſim
Complentur. Vaſtis Heros ſe viribus infert,
Durus, & obluctans valido molimine ferri
Curvatam intendit Maſſam, colloque toroſo
Implicat, exultanſque edura monilia geſtat.
Mox ſimul ardeſcunt artus, atque inſita lætum
In majora trahit Virtus, jam pondera ligni
Corripit, & ſummis adnixus viribus ultrò
Tundit in immanes Artus, crebriſque laceſſat
Brachia verberibus, lignumque impune refringit.
Turba fremit confuſa, ſonis frequentibus Euge
Exclamat populus; reſonant clamoribus Ædes.
Nec deſunt laudes, multo cùm robore funem

Contortum

Contortum infringit, quem non duo tendere poſſunt
Juncti Quadrupedes; jam muſculus omnis & artus
Intumet, & funis cedit tandemque revulſus
Emicat, obruptuſque virum jaculatur in auras,
Jam rurſus vires mirare & ferrea terga,
Corpore cùm medio librato pendulus hæret,
Vix caput extremum, vix crura hærentia firmans:
At facili motu contorquet membra retorquetque,
Et ſpinam ſinuat robuſtam; pectora vulgus
Inſiſtens, fruſtrà devexo pondere tentat
Deprimere; inſurgit contra turbamque repellens
Excutit, & rapido ſubſultu effundit in Æquor.

Sic olim Ætneos immanis membra *Typhöcus*
Impoſitos colles, & ſaxea pondera tollens,
Mutavit crebro motu latus; & Jovis iras
Irridens, ſprevit non intrectabile Pondus.

Diſcite non inter lances menſaſque nitentes.

ANSER, ubi gravitèr tunſas terit area fruges
Sparſaque cum paleâ farra volante cadunt
Serpit iners, latamque trahens inglorious
[alvum
Vix ſuperat cortis limina ventre ſuæ;
Non ſtrepit, aut queſtum rauco dat murmure; vocis
Oblimans aditus guttura claudit adeps:
Verùm, ubi jam breviorque dies, & pabula, cùmque
Anguſtas tenuis ſufficit herba dapes,
Emicat extimulante fame, tendenſque per auras,
Jejuno inſolitos fundit ab ore ſonos.
Quacunque aſſurgens liquidum ſecat æthera pennis,
Aërium ſignat voce canorus iter.
Sic vatem quem *Nox* locupletem *tertia*, reddit,
Perpetuique habetant pinguia terga bovis,
Indulgens cyathis ſtudiiſque ignobilis otî,
Te ſolum, ſpretâ Pallade, Bacche, colit.

Jam

Jam cerebri nimio fit luxu obtuſior uſus,
   Et pingui ingenium corpore pingue latet.
Terrenum ipſe gravans equitem portare, recuſat
   Pegaſus ignavum tollere pondus humo.
Quin jam alium cernas, cum deficiente crumenâ
   Eſurit, & reficit tenuior ora cibus.
Fermento atque acidis mutat cùm pocula Sorbis,
   Aonia & vini *ſuſtinet* unda vicem.
Alis aſſurgit, Charta ceu Milvus, in auras,
   Et cantans pennâ præpete ſpernit humum.
Mirantes tranat Cœlos, clamore ſecundo,
   Dum vacui reſonant carmina ventris opus.
Hoc ſatis *Henrici* mens provida cavit, *Etonæ*
   Ingenio novit conſuluiſſe ſuæ.
Macreſcunt tenui Juvenilia corpora victu,
   Ut poſſit menti lautior eſſe cibus.
Non patinæ curvantur inerti pondere carnis,
   Plurimus at lepido cum ſale panis adeſt.
Interea ultrices aulæ ſtant limine Diræ,

Et

Et vigilas curtas, ſæve *Priore*, dapes,
Nè ferat abreptum Juvenis quid fortè ſub alâ,
Furta ſuper poſitâ vel ſua veſte tegat,
Hinc operum patiens ſit parvo aſſueta Juventus,
Nec referunt inopem carmina nata patrem.
Si jejuna tamen noſtra hæc, ſi craſſa videntur,
Ignoſcas ſaltem nunc, veneranda cohors,
A vobis manans inopem me copia reddit,
Et capiti officiunt fercula veſtra meo.

Integer

Digitized by Google

Integer Laudo.

INVIDA nè totam rapiat Lux Ultima Nym-
[pham,
Formaque *Campaſpes* Morte ſoluta cadat;
Juſſit Apellëos *Hammon* ſervare colores
Delicias tabulâ non pereunte, ſuas.
Ut verò attonito ſpectavit lumine Pictor
Fulgenteſque oculos, Brachiaque, Ora, Manus;
Excuſſi digito Calami cecidêre trementi,
Frigidaque infectum dextra reliquit opus.
Quo propior Virgo eſt, Flammâ propiore calebat,
Utque opus incepit creſcere, crevit amor.
Quid faciat? Veneris proles hinc, inde Philippi
Diſtrahit, hic Hominum Victor, & ille Dêum.
Quod potuit, cœcum luctans compeſcere flammam
Tendit, at apparet diſſimulatus Amor,
Heros ſenſit, Amans malè quos celaverat, Ignes,

Et

Et gemuit læſus corda calore pari.
Nec mora, felici Nympham conceſſit Amico,
Ipſeque quâ caruit, contulit æger opem.
Hoc domitore orbis dignum ſe vincere, ſumma
Eſt Virtus placitis poſſe carere bonis.
Talem non *Arbella* dedit, non *Bactra* Triumphum,
Nigraque cum turmis *India* victa ſuis.
Vincendi Terras juncta eſt cum milite Palma,
Quòd te viciſti, Gloria ſola tua eſt.
Eſt aliquid contra adverſum luctarier amnem,
Qui, quia non liceat, non facit, Ille facit.
Quid fugis inſidias Sirenum vinctus, *Ulyſſes?*
Audire immotum Gloria major erat.
A Juvene, & cupido fuerat quòd reddita Virgo,
Pullulat hinc Laudis, *Scipio*, tanta ſeges.
Hinc plauſum *Mahumeda* tulit, cui fortiter imo
Exceſſit pulſus Corde inhoneſtus Amor.
Torpuerat Virtus decoriſque oblita, Suique,
Dum tenuit Dominum compede Serva ſuum.

Orat

Orat bellum Acies, ingloriaque Otia damnat,
Et fremit ante ducis Seditioſa fores.
Prodiit iratus tandem Populoque Sibique;
Ad dextrum affulſit Cara Puella Latus.
Unde, ait, Hic Clamor, quæ tanta Licentia Vocis?
Rex ſum, nil ultra, Plebs inhoneſta, petas.
Nè tamen indignus ſolio *Mahumeda* feratur,
Quique regit mundum, Serviat Ipſe ſibi;
Terrarum vivam pariter Dominuſque, Meique,
Cedet & è domito Pectore victus Amor.
Dixit & immeritæ Caput abſtulit Enſe Puellæ;
" I nunc & bellum, Turba moleſta, para."

Haberi

——————————*Haberi*

Ut cupiat formoſus.——————

MULTA licet præclara tuum, *Rhedycina* The-[atrum
Digna loco atque viris carmina digna, ſonet;
Magnorum quamvis regum præconia gratè
Mæoniis ſumet concelebrare modis;
Tota domus quamvis habeat quoque Regia laudes,
Et meritum, vatis non ſine laude, decus:
Quem tamen Auditor decies deciesque reponit,
Quemque omni poſcit tempore, *Bellus homo* eſt.
Gaudet ad *Auriacas* laudes aſſurgere, laudes
Audire *Auriacas* quiſque *Britannus* amat:
Laudatur tamen ipſe Heros haud ſolus, habetque
Diviſos plauſus cum Jove *Bellus homo.*
Nummos Hiſtoricos, Æriſque recenſet honores,
Et præli enumerat munia docta ſui:

Qui

Qui tamen arrectas ante omnia detinet aures,
Atque auditorum pectora, *Bellus homo* eſt.
Jamque melos cœleſte ciet felicior Orpheus,
Et melior dulcem tangit Apollo lyram;
Quòd ſi ſic Orpheus, ſi ſic ceciniſſet Apollo,
Incaſsùm haud Nympham flêſſet uterque ſuam:
Nec tamen immodico reſonant ſubſellia plauſu;
Eugè iterant, iterant murmura, *Bellus homo.*
Monſtra gravi numero, portentiſque obſita tecta,
Et quicquid Rari proximus Orbis habet,
Tu, *Rhedycina*, refers. Sunt & ſua præmia claris,
Summittit tibi quos hoſpita *Granta*, viris:
Quæ Virtus & quanta virûm tu laudibus effers,
Et quàm perdocto flumine *Camus* eat:
Hos quamvis meritô laudes, Academia, plauſum
Majorem poſcit qui ſibi, *Bellus homo* eſt.
Sic etiam mundi ſpectes vitæque theatrum,
Hic quoque, cui cedant omnia, *Bellus homo* eſt.

Perceptione

De Perceptione, & Retentione.

SECESSUS Cerebri ignotos, Penetralia [mentis
Et picturatas miro ſubtemine Formas
Rerumque effigies referam. Tu numine Pal- [las,
Preſenti faveas; Te quondam enixus in auras
Effudit ſine Mater Pater, crudelia Partûs
In Capiti expertus Tormenta, uterique labores.
Huc mihi, Diva, veni, Tuaque incunabula mitis
Ingredere, & cæcos nè dedignere receſſus,
Nataleſque Lares: Animæ Capitolia tecum
Fas reſerare mihi, & notas inviſere ſedes.
Excelſam Capitis Arcem, & Faſtigia ſacra
Incola Mens tenet, & molem diffuſa per omnem,
Regnat, Nervorumque leves moderatur habenas.
Nunc age, queis Animo Senſus manuſcula præbent
Artibus, expediam; queis mollia corpora odorum
Inſidiis captant, & Voci retia tendunt.

Juſſa

Juſſa capeſſentes Senſus ſubtilia Mentis,
Nexilibus ſtringunt ſimulacra fugacia vinc'lis,
Et Solis jubar accipiunt, volucreſque Colores.
Aëris in campis latis, perque arva vagatur
Inſidioſa cohors. Pars inter Gramina roris
Aërii lacrymas, vel odoras paſcitur herbas.

Parte aliâ arrectas quando Sonus allicit aures,
Multifidaſque ciet Fibras, tum fluctuat omnis
Et circum volitans turba importuna Suſurros
Arripit, acceptoſque Sonos levis exprimit Aër.
Sunt quibus explorare faces, atque ignea Cœli
Lumina, ſplendoremque, datur; libare coruſcos
Feſtinant Oculi radios; jamque Æthera, & Auro,
Ardentes Stellas, & lucida tela Diei
Colluſtrant vigiles; Phœbeo explerier igni
Dum juvat, & ſacros Lucis recludere fontes.
Ergo, ubi jam Saturi campis decedere Senſus
Incipiunt, Animæ repetunt penetralia, & aulam
Intrant ſenſiferæ per plexa foramina *Fibræ*,

Scilicet Illa, Lyræ ceu tenſi ad carmina Nervi,
Quos arguta movet juſto modulamine Dextra,
Affectus patitur miros; & percita motu
Conſimiles ictus, & conſona verba remittit.
  Poſtquam introgreſſi Senſus, Prætoria Mentis
Arrecti ſubeunt, dona exoptata ferentes.
Luſtrat ovans animus gazas lætoſque labores;
Ille operum Cuſtos; quem circum plurima raptim
Funduntur ſimulacra, & tenûia Vellera rerum.
Mille leves Formarum Umbræ, corpuſcula mille,
Exuviæ graciles, volitant, raptæque Colorum
Membranæ, ſpecieſque æquant imitamine veras,
Sic ubi candeſcunt obducta nivalibus arva
Imbribus, apparent campo commiſſa fideli
Signa hominum varia, & veſtigia nota ferarum.
Quippe pedis retinet fugitivi pignora certa
Æquor, & impreſſæ ſervat monumenta figuræ.
Poſt, ubi collectæ vires, gazæque receptæ,
Indigeſta legit vigili Phantaſmata curâ

Mens

Mens cauta, & proprios meditando excudit in uſus.
Jamque potens rerum, & variis ditiſſima formis,
Senſiferos aditus claudit repleta, recedens
In ſeſe, & vires intrà ſe colligit omnes.
Elicit è tenebris, & pictas ruminat umbras,
Et quaſcunque velit, vocat in Proſcenia formas,
Et jam præteritæ ludos reminiſcitur horæ,
Deliciaſque breves, & gaudia lapſa recenſet,
Quin oculos ubi ſera quies caligine condit
Letheâ exuperans, artuſque affligit inertes,
Ignavos Somni Mens dedignata Catenas
Invigilat curis etiamnum, exutaque membris,
Omnia, quicquid habet mundus mirabile, cernit,
Sopitoſque ſonos, vetereſque reſuſcitat artes;
Scilicet excuſſis, ceu libera, fertur habenis,
Et ſpecies ſubit extemplo quaſcunque, locoſque;
Jamque aliud Cœlum, poſitoſque ſub ignibus Indos
Sideriis petit, & totum complectitur Orbem.
Inſtaurare juvat curas, revocare dolores

 Tranſactos

Tranſactos vitæ, & retro ſine fraude referri.
Sic poſtquam Danaûm inſidias evaſerat omnes
Troius Æneas, Tyriamque intraverat Urbem,
Prælia nota videt, vivâ depicta Tabellâ,
Magnanimoſque Duces; Simoëis ibi parvulus alter,
Altera Troja perit, fictoque abſumitur Igni.
Priſtina, perculſus dulci formidine, Princeps
Fata recognoſcit, caſuque laborat in omni.

Χαλεποὶ

Digitized by Google

Χαλεποὶ δὲ Θεος φαίνεσθαι ἐναργεῖς

CUM tangit *Phaeton* dubitati tecta Parentis,
  Stat procùl, & primâ reprimit æde gradum.
At *Phœbus* ponit radiatæ frontis amictum,
  Præfulgenſque ſuo nudat honore caput.
Non homini faciles viſu Pater exuit Ignes,
  Nè viſum plorent lumina cæca Deum.
Cynthia dum liquidis perfundit corpora lymphis,
  Corpora formosâ candidiora nive,
Advenit *Actæon*: heu! vultum averte procacem,
  Neu temerè huc, Cervus mox abiturus, ades:
Perſtringet divinæ oculos tibi forma *Dianæ*,
  Illa oculis nimiùm lubrica Forma tuis!
Tempus adeſt, quando, quæ nunc temeraria Divam
  Lumina proſpectant, Cœca fuiſſe voles.
Sic miſer iſte, Lupi malè quem vidêre priores;

Digitized by Google

Haud poterit viſos Voce dolere Lupos.
Infelix! Saxo qui concreturus oborto,
Angues ſpectârit, torva *Meduſa*, tuos:
At ſplendore ſuo, ac manifeſto in lumine clarus,
Sævior eſt viſis Angue Lupoque *Deus*.
Felix heu! nimiùm felix, tua ſi bona nôras,
Vivebas *Semele* cum Jove lœta tuo.
Sede Deûm ſpretâ, mortalia tecta petebat,
Mortali ſpecie Rexque Paterque Deûm.
Æmula *Junonis* magnis, temeraria votis,
Plus poſcis, votis heu! peritura tuis.
Jupiter ecce! venit; nec quem tremuêre Gigantes,
At leni vibrans Tela *Secunda* manu.
Non tamen ætherios corpus mortale tumultus
Perferet; arma *Jovis* vel leviora nocent.
Quid volui? immodico dices fulgore fatiſcens,
Sic petis amplexus, Dive tremende, meos?
Qualis eras, potiùs vellem ignorâſſe; tueri
Jam doleo, haud poſthac intuitura, Jovem.

Nè

Nè veterum omninò ſpernas mendacia Vatum,
  Ficta licèt, veris proxima ſæpè canunt.
Mortales adiit, cœlorum ſede relictâ,
  Ipſe Deo vero *Natus*, & Ipſe Deus.
Ut tamen humanis oculis impunè videri
  Cœleſtis poſſet Gloria, factus *Homo* eſt.

Digitized by Google

Nunquam peniteat non deformem eſſe Natum.

COELESTEM Formâ referens malè *Mulciber* [ortum
Cùm turpi primos ederet ore Sonos;
Diriguit, retròque tulit Veſtigia Mater,
Et fugit Partus territa Diva ſuos.
Quin rapuit Monſtrum Pater, indignanſque rotatum
Ter, quater inviſum miſit ab Axe Caput.
Idem divinos *Ganymedi* indulſit Honores,
Inque ſuum fido tranſtulit Ungue Polum.
Quæ Deus amiſit, quæ Proles vera Tonantis,
Spectatus facie venit in Aſtra Puer.
Eſt etiam Superis nitidæ ſua Gratia *Formæ*,
Et placet his, Ipſi quem tribuêre, Decor.
Quòd formoſus, erat Formæ *Paris* Arbiter olim,
Et vicit pulchro Judice pulchra *Venus*.
Illa etiam Cœlos fertur ſpreviſſe relictos,

Et

Et *Marti Anchiſen* præpoſuiſſe ſuo,
Diva Virum, pulchrum petiit pulcherrima *Adonin*,
Illa ſuo felix Conjuge, & Ille ſuâ.
Endymion potuit Cœlo deducere Lunam,
Sopitus veſtris, *Latmia* Saxa, jugis.
Te, quæſite diu, Littus, Puer, omne ſonabat,
Rapte heu! Naïadum Crimine, pulcher *Hyla*.
Aſpice, dicturus ſcandit cùm Roſtra Sacerdos,
Cui ſedet in pulchro plurimus ore Decor;
Diversâ læti ſtrident in Parte Suſurai,
Et tacitis fervet plauſibus icta Domus.
Dixit adhuc aliquid? Nil ſanè. Quid placet ergo?
Pulchra Hominis ſpecies, Ingenuuſque Decor.
Ipſe habitus geſtuſque, Ora & formoſa loquuntur,
Preſtat & Eloquii Forma venuſta vicem.
Hôc pandente placent Myſteria condita Cœli,
Relligio & pulchro gratior ore fluit.
Sic ubi fœmineo viguit læta *Anglia* Regno,
Ceu viget Auſpiciis nunc, *Carolina*, tuis;

Aſpexit

Aſpexit Mater pulchros Eccleſia natos,
  Vidêre & bellos horrida Caſtra Duces.
Pontifices fecit, fecit ſua Forma Tribunos,
  Atque inſtar meriti Frons ſpecioſa fuit,
Cuique Venus placido naſcenti Lumine favit;
  Par Dea, mox pariter favit *Eliza* viro.

Luna

Digitized by Google

Luna habitabilis.

DUM Nox rorantes non incomitata per auras
Urget equos, tacitoque inducit ſidera lapſu;
Ultima, ſed nulli ſoror inficianda ſororum,
Huc mihi, Muſa: tibi patet alti janua cœli,
Aſtra vides, nec te numeri, nec nomina fallunt.
Huc mihi, Diva veni: dulce eſt per aperta ſerena
Vere frui liquido, campoque errare ſilenti;
Vere frui dulce eſt; modo tu dignata petentem
Sis comes, & mecum gelidâ ſpatiere ſub umbrâ.

Scilicèt hos orbes, cœli hæc decora alta putandum eſt,
Noctis opes, nobis tantum lucere; virûmque
Oſtentari oculis, noſtræ laquearia terræ,
Ingentes ſcenas, vaſtique aulæa theatri?
Oh! quis me pennis æthræ ſuper ardua ſiſtet
Mirantem, propiuſque dabit convexa tueri;

Teque

Teque adeo, undè fluens reficit lux mollior arva,
Pallidiorque dies, triſtes ſolata tenebras?

Sic ego, ſubridens Dea ſic ingreſſa viciſſim:
Non pennis opus hìc, ſupera ut ſimul illa petamus;
Diſce Puer potiùs cœlo deducere Lunam;
Neu crede ad magicas te invitum accingere artes,
Theſſalicoſve modos: ipſam deſcendere Phœben
Conſpicies novus Endymion; ſeque offeret ultrò
Viſa tibi ante oculos, & notâ major imago.

Quin tete admoveas (tumuli ſuper aggere ſpectas,
Compoſitum) tubulo; ſimul imum invade canalem
Sic intentâ acie, cœli ſimul alta pateſcent
Atria; jamque, auſus Lunaria viſere regna,
Ingrediêre ſolo, & caput inter nubila condes.

Ecce autem! vitri ſe in vertice ſiſtere Phœben
Cernis, & Oceanum, & crebris Freta conſita terris;
Panditur *ille* atram faciem caligine condens
Sublustri, refugitque oculos, fallitque tuentem;
Integram Solis lucem quippè haurit aperto

Fluctu

Fluctu avidus radiorum, & longos imbibit ignes:
Verum *his*, quæ, maculis variata nitentibus, auro
Cærula diſcernunt, celſo ſeſe inſula dorſo
Plurima protrudit, prætentaque littora ſaxis;
Liberior datur his quoniàm natura, minuſque
Lumen depaſcunt liquidum; ſed tela diei
Detorquent, retròque docent ſe vertere flammas.

Hinc longos videas tractus, terraſque jacentes
Ordine candenti, & claros ſe attollere montes;
Montes queîs Rhodope aſſurgat, quibus oſſa nivali
Vertice: tum ſcopulis infrà pendentibus antra
Nigreſcunt clivorum umbrâ, nemorumque tenebris.
Non rores illî, aut deſunt ſua nubila mundo;
Non frigus gelidum, atque herbis gratiſſimus imber:
His quoque nota ardet picto Thaumantias arcu,
Os roſeum Auroræ, propriique crepuſcula cœli.

Et dubitas tantum certis cultoribus orbem
Deſtitui? exercent agros, ſua mœnia condunt
Hi quoque, vel Martem invadunt, curantque triumphos

Victores

Victores: ſunt hic etiam ſua præmia laudi;
His metus, atque amor, & mentem mortalia tangunt.

Quin, uti nos oculis jam nunc juvat ire per arva,
Lucenteſque plagas Lunæ, pontumque profundum:
Idem illos etiàm ardor agit, cum ſe aureus effert
Sub ſudum globus, & Terrarum ingentior orbis;
Scilicet omne æquor tum luſtrant, ſcilicet omnem
Tellurem, genteſque polo ſub utroque jacentes:
Et quidam æſtivi indefeſſus ab ætheris ignes
Pervigilat, noctem exercens, cœlumque fatigat;
Jam Galli apparent, jam ſe Germania latè
Tollit, & albeſcens pater Apenninus ad auras:
Jam tandem in Borean, en! parvulus Anglia nævus
(Quanquàm aliis longè fulgentior) extulit oras:
Formoſum extemplò lumen, maculamque nitentem
Inviſunt crebri Proceres, ſerùmque tuendo
Hærent, certatimque ſuo cognomine ſignant:
Forſitan & Lunæ longinquus in orbe Tyrannus
Se dominum vocat, & noſtrâ ſe jactat in aulâ.

Terras

Terras poſſim alias propriori Sole calentes
Narrare; atque alias, jubaris queîs parcior uſus,
Lunarum chorus, & tenuis penuria Phœbi:
Nî, meditans eadem hæc audaci evolvere cantu,
Jam pulſet citharam Soror, & præludia tentet.

Non tamen has proprias laudes, nec facta ſilebo
Jampridèm in fatis, patriæque oracula famæ.
Tempus erit, ſurſùm totos contendere cœtus
Quo cernes longo excurſu, primoſque colonos
Migrare in lunam, & notos mutare Penates:
Dum ſtupet obtutu tacito vetus incola, longèque
Inſolitas explorat aves, claſſemque volantem.

Ut quondàm ignotum marmor, campoſq; natantes
Tranavit Zephyros viſens, nova regna, Columbus;
Litora mirantur circùm, mirantur & undæ
Incluſas acies ferro, turmaſque biformes,
Monſtraque fœta armis, & non imitabile fulmen.
Fœdera mox icta, & gemini commercia mundi,
Agminaque aſſueto glomerata ſub æthere cerno.

Anglia,

Anglia, quæ pelagi jamdudum torquet habenas,
Exercetque frequens ventos, atque imperat undæ;
Aëris attollet faſces,ystereſque triumphos
Hùc etiam feret, & victis dominabitur auris.

Pro

Digitized by Google

Pro More & Monte.

DICITE, Io, Socii, bis Io jam dicite, libris
Altera ſepoſitis Pallas ad arma vocat.
Tuque, Aurora, diem ſpectacula læta feren-
[tem
Quàm primum croceis roſcida profer equis.
Æolus inſanos concludat carcere ventos,
Aut ſaltem inviſas diſſipet aura nives.
Sed quid in innocuas turmas ita militat Æther?
Non nos in ſanctos poſcimus arma Deos.
Quid volui? armatas hyemes heu! fundit ab antris
Æolus, & tetras ſpargit in ora nives.
Non ego Phlegræos cupio moviſſe tumultus,
Non cœlum exigui ſcandere Montis ope.
In Phœbum Brennus temeraria moverat arma,
Cum Deus ultricem miſit ab axe nivem.
Vim non inferimus ſanctis penetralibus; (auri

 Hoſtibus

Digitized by Google

Hoſtibus eveniat tam meleſuada fames :)
Relligione ſacer Patrum ſine fraude doloque,
Aureus, ut ſpero, *Mons* erit ille mihi.
En ! ſocii innocuæ ludunt ſub Imagine pugnæ,
Induiturque novo plurimus enſe Puer.
Filiolos, quanquam Muſis Phœboque dicatos,
Fulgentes armis Martis *Etona* videt.
Me duce, bella movent, adſit modò numine præſes,
Sitque favens, cunctis qui ſolet eſſe, mihi.
Sicupit Italicum ſolium conſcendere *Carlos*,
Nunc, nunc auxilium poſcat, *Etona*, tuum.
Me præeunte, agmen miſcebit prælia parvum,
Germanûmque fugæ barbara terga dabit.
Succendit præcox puerilia pectora Virtus,
Ante annos gerimus vimque animoſque Virûm.
Fecit idem *Aſcanius* Puer olim ; ducere turmas
Nec pudor imberbes eſt, *Gulielme*, tibi.
Textas lege fugas, inconfuſoſque recurſus
Cum Pueris ſimulas non ſine Laude Puer.

Nunc

Digitized by Google

Nunc ſtruis infirmas acies & mœnia parva,
    Sernitur & ficto Nomine durus *Iber*.
Nunc terga inſequeris turmæ fugitiva puſillæ,
    Prælia ſæpe Patris, ſæpe imitatus Avi.
Huc ades, O Puer alme, meaſque inviſe catervas,
    Digna ſit auſpiciis bellica Pompa tuis,
Arietis ad mortem veniſti Claviger, O ſi
    Pollice & hos ludos fautor utroque probes.
Fortunate Puer, tibi natos nutrit *Etona*,
    Averſos ſtudiis nec ſinit eſſe tuis.
Aſpice nos comites, caſuſque amplectere in omnes,
    Seu tibi Pax cordi, ſeu fera bella geras.
Si nunc te Puero puerilia bella ciemus,
    Si canimus laudi non ſatis apta tuæ;
Non deerit, tecum qui mox vera arma movebit,
    Aut dignè arma canet qui tua, Teque Virum.

Somniorum Phænomena.

NOX ſimul humentes operit Caligine terras
Nigranti, ſuadentque orientia ſidera ſomnos,
Irrorat placidâ mortalia membra quiete,
Concutiens dextrâ lethæa papavera, Morpheus.
Ergò etiam ſenſus feſſi clauduntur, & illos
Sic ſomno poſitos nequeunt Externa movere.
Unde igitur nobis ſurgunt inſomnia? quare
Apparent variæ facies, confuſaque rerum
Imprimitur ſeries animæ? ſomnoque ſepultos
Fallaces umbræ, ſimulacra fugacia, ludunt?
Cur ubi jam rebus nox abſtulit atra Colorem,
Sopitos oculorum Orbes, acieſque retuſas
Vel formoſa juvat, vel turbida terret Imago?
Æthera mille colunt Genii, penniſque feruntur
Haud viſu faciles, quêis ſunt mortalia curæ:

Quorum

Quorum alii turpes orco, ſtygiiſque tenebris
Naſcuntur, puroque alii de limine Cœli.
Hi, ſimul ac hominum mollis ſopor irrigat artus,
Strata leves circumvolitant, mirâque potentes
Arte, jubent, quæcunque libet, ſpectacula clauſis
Senſibus offundi: Magicæ ſic omnia fraudi
Parere aſpexi, variaſque aſſurgere ſcenas.

Hinc diræ ſpecies: hinc gens humana tremendas
Aut videt aut vidiſſe putat per ſomnia formas,
Ignemque, horribilemq; feram, fluviumq; liquentem.
Quid dicam, qui cùm feſſos laxaverat artus
Alma quies, ſubitò ſe ponto immergier alto
Credidit, & vaſti jactarier æquoris undis?
Turbidus interea rapidarum ſtridor aquarum
Auribus obſtrepuit: tum plurima mortis Imago
Conſtitit ante oculos. Spumoſum nare per æquor
Velle videbatur, avidaſque extendere palmas:
Nequicquam! in mediis periit conatibus æger,
Nec palmæ valuere, aut notæ Corpore vires.

Quinetiam (neque enim Phantaſmata lurida ſomnos
Diſpulerant) maneſque adiit Regemque tremendum,
Et caligantes nigrâ formidine ſedes.
Continuò miſerum viſæ lacerare ſorores
Tartareæ, ultrices ſcelerum: penetravit ad ima
Oſſa dolor; donec gemitus tractæque catenæ,
Et ferri ſtridor triſtiſſima ſomnia rupit.
Vix tamen ad ſeſe rediit, vigilanſque cruentam
Tiſiphonen, & nigra etiamnum Tartara vidit.
Sæpe autem Genius ſpectacula dulcia præbet
Sopitis, captos & imagine ludit inani.
Hinc juvenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem
Durus amor, pulchramve Chloen aut Phyllida grato
In ſomno videt, & lætis amplexibus hæret.
Hinc inopis duros ſolantur ſomnia caſus,
Grataque compenſat nox tædia longa diei,
Dum Sceptrum quatit, & populis dare jura videtur.
Tunc forſan qui Sarrano Rex dormit in oſtro,
Luctificum ponit lætus diadema, colitque

Sutorumve

Sutorumve caſas, vel parva mapalia, donec
Pulchra Aurora diem majeſtatemque reducat.

In tenebris eadem plerumque iterare videmur,
Quæ ſtudia inſomnes ſequimur. Quatit oppida miles,
Et capiti nectit laurus. Quid ſomnia vatum,
Et tacitâ referam tot ficta Poemata nocte?
Venator, cum membra jacent proſtrata ſopore,
Sylvarum latebras & devia luſtra fatigat.
Täygetique Canes (quoniam canibus quoque noſtros
Vita tulit caſus) in molli ſæpe quiete
Crura movent, noto nares tinguntur odore,
Ardenteſque, ac ſi leporem veſtigia certa
Jam teneant, magnis latratibus omnia complent.

Vera etiam ad Cœlum mittunt inſomnia Manes:
Scilicet hæc portâ fugiunt, quæ cornea fertur,
Occultique valent myſteria pandere fati.
Aſtyagi ſic olim aderant Phantaſmata: Natæ
Ex utero ramis felicibus exiit alta
Vitis, & omnem Aſiam vaſtâ circumdedit umbrâ.

Ac mox occulto crevit velut arbor in ævo
Cyrus, & egregiam virtutem æquavit Olympo.
Certior haud adytis vates Phœbëa recluſit
Ventura, aut habitæ Graiis oracula quercus.
Hinc Italas inter gentes divina Sacerdos
Sollicitans reſponſa Deûm, ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.
Clarior hinc nobis præſaga ſcientia Patris
Supremi apparet: magno quo numine docti
Fata ſciunt Genii, atque etiam mortalibus ægris
Somnia dant divina, & non ignara futuri.

Sidera

Digitized by Google

Sidera excantata Voce Theſſalâ
Lunamque Cœlo deripit.

FUMOSUM hyberni trepidans ad Luminis [Ignem
Indiga ſub tecto paupere ſedit *Anus.*
Sulcârunt Anni faciem, & muſſantia Labra
Aſſiduè magicas viſa movere Preces.
Hanc circa Felum dum Grex numeroſus oberrans,
Jam dominum queritur Murmure, jamque Famem;
" Ite, ait, ignavum Pecus, hinc excedite, Noſtræ
" Famoſa O Labes Opprobriumque Domûs.
" Vobis acceptum refero quòd Saga per Urbem,
" Quòd digito Populi prætereunte notor.
" Ferreus hinc omne ad Limen defigitur orbis,
" Straminaque obliquè jacta morantur iter.

" Non

" Non cribrum, baculuſve jacet mihi ſub Lare, quo [non
" Aërias credor ſæpe ſecâſſe vias.
" Preſſentur fruſtrà ſi ſiccis Ubera Palmis,
" Nocturni dicor Cauſa fuiſſe doli.
" Me damnat Juvenis duros expertus Amores,
" Et premit immeritum non mea culpa caput.
" Inviſam me agitant Pueri, fugiuntque Puellæ,
" Atque explorantes ſæpe minantur Aquas."
Non tulit ulteriùs clamantem de grege Felis,
" Cauſaque jam queſtûs cui magis æqua, refert ?
" Servire infami eſt Infamia; pinguior eſſem,
" Vitaque jam nullâ Labe notata foret,
" Si nunquam Magicis ſuccêſſem ſedibus Hoſpes;
" Hinc Caput, hinc noſtri venit Origo Mali.
" Hinc conjuratis ſaxis petit improba Turba,
" Quòd nos poſſe ferunt Fata novena pati."
Feles, & Baculi, & Rugæ, Facieſque Senectâ
Suſpectam Sceleris lurida reddit Anum.
At magicâ incedit *Lappo* felicior Arte,

Imponit

Imponit pretium Dotibus Ille ſuis.
Cùm libet, obſcuro deterget Nubila Cœlo,
Cùm libet æſtivo convocat Orbe nives.
Emptâ ſecurus ſe Tempeſtate tuetur
Navita, nec trepidat perfida terga Maris.
Venalis proſtat Boreas, Euruſque, Notuſque,
Et parent juſſis cuncta Elementa Viri.

Datur in mundo continuus Entium ordo.

SPIRITUS Auraï, qui regna ignava fatigas
Noctis, & exerces luctantia ſemina rerum,
Te ſequor; ex Nihilo facilem ſeu fundis inerti
Materiam, ſpargiſque agilem circum undique Vitam:
Seu brutas Terræ exuvias, elementaque tarda
Igne foves Animæ ſacro, raptimque potiris
Numine, & ætherei prætendis Lampada Sensûs;
Immodicum donec tandem ſubſiſtis anhelans
Exceptare Deum, refuguſque fatiſcis in aſtris.

Vix exors Nihili, primoque in limine rerum
Materies jacet informis, ſomnoque ſilenti
Longùm bruta ſtupet: quamquam corpuſcula paſſim
Ambiguo motu ſalientia Succinus humor
Allicit ad coitum: Magneſque fidelis in axem
Emicat Arctoum; temerèque per oſcula ferri

Juncta

Juncta tremit, caſtoſque Hymenæi imitatur amores.

Quin age, flecte oculos, quà vernâ vividus aurâ
Funditur in Plantas Deus: en ubi Sylva caducam
Pullulat in vitam; tenuique in ſemine ponit
Planta fidem trunci, gemmæque elementa futuræ:
Donec vaſa tument vegetis lactentia ſuccis,
Et Phœbo ſudat geniali obnoxia Vita
Ductilis in folia, & teretes ſpatiatur in artus.

Quin & crediderim per amœnæ arbuſcula ſylvæ
Particulam tremere æthercam; cum mœſta ſequaci
Fonte petit Solem *Clytie*, ſpretamque ſolutis
Flet Venerem foliis: & Senſilis herba protervam
Caſta manum temerè refugit, læſumque pudorem
Deciduâ cervice, & fracto germine luget.

Uſque adeo Succus per membra virentia plantæ
Ambiguos ſinuat flexus. Juvat altius ire,
Fluctuat effuſâ Senſûs ubi percita luce
Materies, magnoque Animantum corpore miſtus
Permanat mundum Deus. En! circumflua Vita

Stillat

Stillat ab Oceani gremio, terræque capacem
Molem agitat Senſus: tumet omnis turbidus humor
Indigenis; ſaxi venis inoleſcit aviti
Parvula progenies; foliiſque ſub omnibus hærent
Exiles animæ, Dryadumque infantia regna.
At neque Mens tenuis pecudum, ſimulachraque Sensûs
Languida præteritum refluâ, nec luce futurum
Præmiſsâ referant; licet illis impete crebro
Percuſſi vibrent Nervi, raptimque fruantur
Impulſu, celerique agitent ſenſoria curſu.
Sed non corporeis ſpirat Vigor ille ſuperſtes
Exuviis: ſimul extremo confecta dolore
Membra labant. Sensûs pallens extinguitur ignis
Æternùm, & lento terrena cadavera ſomno
Infœcunda jacent: quanquam genitale ſepulchrum,
Ut fama eſt, Myrrhâ moriens contexit Eoâ
Phænix, prægnantique tepet Nabathæa favillâ.
  Contemplator item, quà ſe ſubtilior Æther
Inſinuat membris, & vivida ſemina Mentis

Temperat

Temperat, indigenamque Animam ſub pectore verſat.
Illa, vides? agilis magni ſubterfluit undas
Oceani, Terræque plagas, librataque luſtrat
Sidera, rimaturque Deum per flamina venti,
Præcipiteſque nives, lætoque ſalutat in imbre.
Interea dubiæ juga per declivia vitæ
Occidui trepidant Soles: labat impete fracto
Sanguis; corporeæque, perenni attrita labore,
Bruta ruunt elementa Caſæ, terrenaque membra.
Quin Anima exultim ſperanſque tremenſq; micanſq;
Æternum refugit Nihil; atque in ſe ipſa reſidens
Exercet mortem luctantem, atque imperat Orco.

At neque per terram genitalem exuberat omnis
Spiritus effuſus vitæ: en! ſua Sidera norunt
Indigenæ Divi, quos non torpentia tardant
Vincula Materiæ, concretaque ſemina leti.
Pars (Genii, ut perhibent, fidi) per nubila furtim
Cœca volat, ſtipatque viros, & anhela fatigat
Pectora, dum Patriæ ſtillant extrema cadentis

Vulnera:

Vulnera: Pars animam complexu exceptat inani
Pulveris avulſam, dum pallida, nuda, relicta,
Inviſit tacitos Manes: tum cætera turba
Lampada Phœbæam librat, lunamque ſequacem
Circumagit, famuliſque aſtris molitur habenas.
Nec circum interea caligans humida nubes
Cæleſtes hebetat viſus: quin fœdera rerum
Magna patent; quæ vis labentia corpora pronos
Torquet in amplexus Centri? quâ lege ſodalem
Mens agitat molem, dum ductilis errat in artus,
Et tremit in nervis, celerique in ſanguine manat.

Uſque adeo Divûm ſacras conſurgit in artes
Mundus, & in maſſam premitur devexus inertem.
Ipſe Pater diffuſus ubique, vireſcit in herbis,
Spirat in æthereâ vitâ, collucet in igne
Simplicis Auraï, donec circumfluus ambit
Aerio magnam pendentis ab axe Catenæ
Compagem, rerumque ingens ſeſe explicat Ordo.

Ad

Ad Celſiſſimum Principem GULIELMUM Cumberlandiæ *Ducem.*

DUM tuæ *Pubes* ſtudioſa laudis
Debitam nectit capiti coronam,
Muta dum charum reſonare diſcunt
Mœnia nomen;

Fas ſit, O, ſi quid loquar audiendum,
Fas ſit accedat mea vox: & O Sol
Pulcher, O *Etona* canam, recepto
Principe felix!

Multa WILHELMI levat aura nomen,
Multa virtutes, animumque, moreſque
Aureos educit in aſtra læto
Carmine Muſa.

Sive Te claſſes & acuta bello
Roſtra delectent, age, Te Britanno
Crede Neptuno, tibi Tethys omni
Serviet undâ:

Seu velis turmas, cupiens vocari
Fulminis dignus Patrii miniſter,
Impiger vindex equitare in atro
Turbine belli:

Sive Civiles meditere curas,
Palladis felix utriuſque alumnus,
Angliæ notum decus arrogabis,
Arte *paternâ*.

I, decus quò te vocat, I per altos
Gloriæ tractus; præeuntis inſtat
Greſſibus, laudum docilis tuarum
Æmula pubes;

Non leves auſus meditans, ſuiſque
Viribus major, tibi cedit uni,
Et tuâ virtute, tuoque tecum
Numine certat.

Dulce certamen! faciles triumphi!
Hoſtibus palmæ decus invidere
Magna laus, a Te potuiſſe vinci
Gloria major.

Αϱιςὸν

Ἄριστον μὲν Ὕδωρ

CUNCTA, *Thales* ſi vera refert naſcuntur ab [Unda,
Nec ſola è liquido Flumina fonte cadunt,
Ante gravem Pyrrhæ ætatem, nova monſtra [querentis,
Si qua fides veris, omnia Pontus erat.
Hinc primùm emerſit Mundi pulcherrima moles,
Nunc quoque lympharum vis genialis alit.
Arboribuſque, herbiſque Hæc incrementa miniſtrat,
Dum coquit arentem Sirius altus humum.
Deſiduæ recreant campos aſpergine guttæ,
Roribus irriguus parturit omnis ager,
Membraque quando ardor Febris languentia torret,
Quam renuit Phœbus, Lympha miniſtrat opem.
Infirma ad Britonum Baias & pallida migrat;
Sanior, & Virgo pulchrior inde redit.
O Fons, plus ipſo laudande Helicone Camænis,
Sentiat auxilium *Regia Virgo* tuum:

Ceu Venus è ſacris emegrat AMELIA lymphis;
Caſtior Hæc, at non pulchrior Illa fuit.
Tum laticum grato celebrabit carmine laudes
Plus ſolitoque tuas Phœbus amabit aquas;
Tum Deus in notas deſcendet lætior undas;
Mox face clarabit ſplendidiore diem.
Tu quoque Muſarum vates, Phœbique ſacerdos,
Poſthabito Baccho, flumina ſola colis:
Jugis ad inſtar aquæ dum mollia carmina currunt,
Ingenii & paritèr vena benigna fluit.
Nam neque ſunt muſæ Baccho, neque Phœbus amicus;
Vinoſam rabiem turba quieta fugit.
Mî ſatis eſt hauſtus contento ſimplicis undæ;
Hac meliùs vino Muſa refecta canit.
Hæc alit ingenii vires, formatque Poetam,
Dum benè Pieriis ora rigantur aquis.
Ternos ter cyathos ſibi poſcat Horatius, ipſe
Ternas ter Muſas in mea vota voco.

Phœbe,

Phœbe, mihi lucem tribuas & pocula ſacra,
Et proprium medio des Helicone locum:
Dum radiis malè cocta tuis Vindemia ſordet,
Cæteraque in toto quæ, Pater, orbe vides.

Digitized by Google

Ad G. Hayes, *M. D.*

O POTENS ægrum relevare corpus,
Febrium victor, fera cui Podagra,
Cæteris major, tibi miles impar,
Territa cedit.

Quàm juvat blando digito experiri
Virginum venas; juvat & videre
Purpuram in malas reducem, tuâque
Arte receptam.

Quid tibi vates voveat patrono?
Indies creſcat tibi fama, creſcat
Indies lucrum, neque mors Saluſve,
Te ſine, morbos

Sublevent: Riſuſque tui, jocique
Maximam curam Medicis Puellas
Uſque delectent, vetulaſque mentes
Fabula captet.

Mox

Mox nitens curru nitido veharis,
Altus & ſpernas Medicos equeſtres;
Rex Medus cedat tibi, Friendiuſque
Nuper ademtus.

Cœlibem quòd ſi pigeat vacare,
Frigidum & ſolas vigilare noctes,
Sit Venus felix, faveatque cœptis
Blanda Puella:

Sint nigri crines, oculique nigri,
Candidi dentes, niveique vultus;
Comis & nummata virum fideli Ad-
ſtringat amore.

Dux Fœmina Facti.

SURGE age, lætitiæque vaca, feſtiſque Tri- [umphis,
Tuta meâ JUDEA manu, ſonet undiq; plauſu,
Barbaricis nequicquam obſeſſa *Bethulia* caſ- [tris.
Voſque adeo gaudete agri, quos raptor iniquis
Exultans latè, flammis vaſtabat inultus;
Dum nondum præclara ſalus, columenque meorum
Surrexi JUDITHA; pii Dux Fœmina Facti,

Plaudite vos, Nymphæ *Solymeïdes*, aſtraque cantu
Et ſonitu pulſate Lyræ; revocate coronas,
Deſuetiſque iterùm crines innectite ſertis.
Spernite pullatas, veterum monumenta dolorum,
Cladibus ereptæ, veſtes; nunc ſplendidus oſtro
Ornet honos, Tyriæque aurata ſuperbia lanæ.
Inſtaurate choros, quales dum fortiter audax
Afflatu DEBORAH & numine plena JEHOVÆ

Iret

Iret ovans, pariterque armis præeunte BARACO
Hazoridum turmas, plus quàm virtute virili
Sterneret, illuſtreſque ageret ſine cæde triumphos
Quis timor *Iſacidæ*? quæ vos in mœnibus altis
Tunc tenuit mora, cùm lætis equitaret in arvis
Barbarus, infenſas ſpargens ſine vindice cædes?
Ergone præripuit victricem *Fœmina* laurum,
Sola animi conſtans? dum non muliebriter enſem
Expavit mulier, voluitque interrita virtus
Aut Patriam ſervare, aut non ſupereſſe cadenti.
Ah pudeat fortes animos, aſſuetaque bellis
Agmina, quod nullis veſtra inſignita tropæis
Dextera, ſed populo JUDITHA oſtendit Ovanti
Cervicem infeſtam patriæ, temploque JEHOVÆ
Exuvias hoſtis Mulier ſuſpendit opimas.
Nam neque JUDEÆ virtus delecta juventæ,
Nec vaſtâ *Aſſyrium* confiſi mole *Gigantes*
Oppreſſere ducem, ſtetit Illi cauſa doloris
Fœmineus Decor, & placitæ pellacia Formæ;

Jamque

Vidit, deperiitque, & letifer abſtulit error.
Jamque ubi ſecurus jacuit, ſomnoque ſepultus,
Senſuſque obſtupuêre mero, tum denique noſtra
Utiliter fallax, & honeſti perfida ſævum
Dextra peregit opus; cecidit deforme cadaver
Exanimis, cecidit muliebri percitus ictu.
Hæc tibi, Dux, finis, quem quondam orientis onuſtum
Vix cepit ſpoliis tellus; I conſere pugnas,
I, totum demens incendia ſparge per orbem,
Ut mulier carpat laurum, quæratque tropæa,
Quæ mox fœminei niteant decora alta triumphi.
Quid tibi nunc *Arabas*, quid profuit agmina, demens.
Perſarum duxiſſe, ſagittiferoſque *Sabæos*?
Me, Me contremuit *Parthus* jaculator, & omnis
Medorum jactata cohors, ductore perempto,
Terga dedit: fugiunt, quales per devia luſtra
Amiſſis damæ ducibus, muſſantque paventes
Quis nunc imperitet, quem tota armenta ſequantur.

O!

O! qui magnorum juſto libramine pendis
Facta ducum, tibi per nitidi celſa atria Cœli
Accreſcat divinus honos muliebribus armis.
Dum pigra Heroum langueſcunt corda veterno,
Auxilio firmata tuo ſi brachia vires
Virginis induerint, validis ſolidata lacertis,
Mollities iſta imbellis dominabitur hoſti,
Atque triumphales agitabit fœmina Pompas.

CAMERA

Camera Obſcura.

NOCTURNUM Zeuxem, variæ ſubtemina [lucis,
Et picturatam ſine ſucco & arundine chartam,
Phœbe, canas, lucis Deus idem & carminis [idem.
Ergo age, quæ Borean à fronte exceptet, opacam
Conſtituis Cameram: valvas utrinque feneſtræ
Obde prius, nullamque ſinas in pariete rimam
Hiſcere; per tenues nè lux ingreſſa meatus
Confundat teneras ſpecies, formaſque caducas.
Exiguum tamen in valvis pertunde foramen,
Quà radii introeant, lævique huic inſere vitro
Tornatam, modicoque rotundam gibbere Lentem;
Et ponè albentem digito ſuſpende tabellam,
Huc ſpecies rerum illapſæ, quà porta pateſcit,
Sponte ſuâ intrabunt, & puncto temporis uno
Per chartam Automatas cernes volitare figuras.

Tales

Digitized by Google

Tales, ſi quà fides Epicuro, è Corpore ſenſim
Membranæ aufugiunt; oculis ſeſe ingerit ultro
Lamina, ſenſibilique intrans ferit organa pulſu.

Jam verò quâ vi refringat vitreus umbo
Exceptos lucis radios, quâ lege vagantes
Colligat in nodum complexus & ima ſupremis
Vertat; cur amet obtentas pictura tenebras,
Judicis arguti quum non formidet acumen,
Expediat Phyſicus-- neque enim datur omnia ſcire
Vatibus--hoc unum ſatis eſt cognoſcere, quòd non
Incaſsùm, velutique ipſi, Natura laborat.

Quare age, quæ ſenſu fuerint magìs obvia, mecum
Conſpice, nec cauſas rerum ſcrutare repôſtas.

Ecce ſuperficies, quam quondam ingloria nudam
Veſtiit albedo, ceu mille coloribus Iris
Imbuta, oſtentat varii diſcrimina fuci,
Luxuriemque novam; lautoque ſuperbit amictu.
Cernis ut incepit nullo flaveſcere cultu

Extemplò

Extemplò matura Seges; jam ſuave rubentes
Area ſponte ſuâ fundit tibi dædala flores.
Hîc mole exiguâ Turres, ſimulataque magnis
Tecta anguſta vides: Sed prono vertice turris
Deſuper impendens nutat, ſummuſque deorſum
Vergit apex: Cœlum ſubcedit ad ima tabellæ,
Summa petens emerſit humus: Sic Ruſticus olim
Credidit Antipodum ſurſum veſtigia niti,
Impoſitoque hærere ſolo; miratus abunde,
Quòd non præcipiti lapſu petat ardua cœli
Pendula turba ruens, ſubjectaque ſidera pulſet.

Hîc etiam motum, quem non eſt auſus Apelles
Moliri, pictum aſpicias. Ut gramina flabris
Summa tremunt, undantque levi ſinuamine fluctus!
Mimica nunc hominum Effigies, nunc Charta ferarum
Mentitur ſimulachra, modis volitantia miris.
Certatim properant tenues arceſſere vitas,
Progenies hodierna; & plurima ſpirat imago,

Miraturque

Miraturque novas formas, & non ſua membra.

Jamque Equitem, ſiquem fors huc advexerit, ultro
Arripis, inque tuam cogis migrare tabernam,
Nec tamen impedias iter, aut ſis cauſa morandi.

Hîc avidos paviſſe oculos, ſalvoque pudore
In caput excuſſam fas eſt vidiſſe puellam.
Ut graciles artus tenuantur! ut ambitus imæ
Veſtis in exiguum tandem concluditur orbem,
Quam tamen in quartam ſartor porrexerat ulnam!
Scilicèt hôc etiam eſt ſimilis pictura Puellæ,
Quod tangi metuens prenſantem lubrica dextram
Exultim fugit, eluſumque relinquit amantem.

Jam ſatìs eſt: Tectum tandem lux intret apertum.
Priſca redit chartæ albedo, fluxumque nitorem
Exuit, & lautam tantâ farragine Pompam;
Gloriaque in tenues dilapſa reſolviter auras.
Uſque adeò quæ lux illuſtrat cætera, noſtram
Obſcurat ſcenam, & nimio fit inutilis uſu.

Sic

Sic quondam Lemures ſubluſtri noctis in umbrâ
Exiles agitant Choreas, & luce malignâ
Rara per anguſtum plebecula ſaltitat orbem;
Mox jubar exoriens pallentes diſcutit umbras,
Spectraque cognatam repetunt evanida noctem.

FINIS.

LEM-

Digitized by Google

LEMMATUM

TABULA.

TOM. I.

SOL occiduus; ſive in Ducem Marlburium, 1

Externi venient Generi, qui ſanguine noſtrum
Nomen in aſtra ferant, 4

Gratâ Novitate morandus, 9

Calendæ Januariæ. Ad virum Rev. Godolphin, Præpo-ſitum Eton, 10

Αιεν αριϛευειν κ̀ υπειροχον εμμεναι αλλων, 12

Tenet occiditque legendo, 14

Satur eſt, cùm dicit Horatius, Euoe, 17

———— *Clypeoque inſigne Paternum*
Centum Angues, cinctamque gerit Serpentibus Hydram, 19

Foliiſque notas & nomina mandat, 21

Gladiatorum Paria, 25

Σκηνη πας ο βιος, 28

Tantus Amor Caſus cognoſcere, 30

Antiquum obtinet, 32

Νεικειν αλληγοισιν εναντιον ωστε Γυναικας, 35

——————— *Memor*
Actæ non alio Rege Pueritiæ, 37

——————— *Cuſtodes limine ab alto*
Procedunt, greſſumque Canes comitantur herilem, 39

Ιητρος γαρ ανηρ πολλων αντaξιος αλλων, 41

——*Cytherea novas artes, nova pectore verſat,*
Conſilia, 43

Non omnis moriar, 45

Μηδεις τα Θεων ονοσαιτο, 50

Invidiam placare paras, Virtute relictâ?
Contemnêre, 53

Quâ ſpe teris otia? 56

——————— Ο δε, νοσφι λιασθεις
Των αλλων απανευθε καθεζετο, 60

Pro More & Monte, 62

Hic Amor, Hæc Patria eſt; ſive in Nuptias Principum Frederici & Auguſtæ, 65

——————— *Felices ter & ampliùs*
Quos irrupta tenet Copula, 67

Quid

Quid priùs dicam ſolitis Parentis Laudibus? 70

Res eſt ſacra Miſer, 73

Res eſt ſacra Miſer, 76

In obitum Genevæ S. Cto. interdictæ, anno 1736. *Ecloga,* 78

——— *Si tantus Amor ſcribendi te rapit, aude, Res dicere,* 92

Dat præmium Poetæ; nè quid poſteà ſcribat, 94

Decipit Exemplar, 97

Τα μη καλα, καλα πεφανται, 100

——————Δη γαρ Ελεγχος Ευεται, 102

Nugæ Canoræ, 106

Cunctane præ Campo, & Tiberino flumine ſordent? 108

Mala Librorum Copia, 112

Poeta Famelicus, 114

Secernite ſacra profanis, 116

————————— *Memor Actæ non alio rege Puertiæ,* 119

Digitized by Google

——————— *Quæ Res*
Nec Modum habet, neque Conſilium, Ratione, Modoque
Tractari non vult, 121

——————— *Quæ Res*
Nec Modum habet, neque Conſilium, Ratione, Modoque
Tractari non vult, 124

——————— Εγων επεευι κὴ αθανατοισι μαχοιμην,
Εγχει δ' αργαλεον, 126

——————— *Trahit conſtrictos Gloria curru*
Non minùs Ignotos Generoſis, 130

Quocunque oſtendis mihi ſic, incredulus odi, 132

Caret Mortis formidine Pectus, 136

In Verſionem Græcam Horatii, 138

Αλλω δ' αλλον εθηκε Θεος γ' επιδευεα φωτων, 141

——————— *Nè patriam Rem*
Perdere quis velit, 143

Si volet uſus, 145

Peccare docentes Hiſtoriæ, 148

Hîc ames dici Pater, 150

TOM. II.

Eccleſiaſtes, 1

In Obitum Frederici Sereniſſimi Walliæ Principis: Ad Sereniſſimum Georgium Walliæ Principem, 20

In Obitum Celſiſſimi Principis Frederici Principis Walliæ, 23

In Nonas Novembres, 27

In Nonas Novembres. 31

Tarantula, 34

Rectè ſtatuit Aventinus de Petrificatione, 39

Aliquiſque malo fuit uſus in Illo, 43

Planetæ ſunt habitabiles, 48

Nobilitas ſola eſt atque unica Virtus, 53

Oratio Prophetæ Habbakuk, 55

Recte ſtatuit Neutonus de Luce & Coloribus, 60

Colonia Georgiam Deducta, 69

Undique viſendi ſtudio Trojana Juventus Circumfuſa ruit, 80

Invicti membra Glyconis, 85

Diſcite non inter lances menſaſque nitentes, 88

Integer

LEMMATUM TABULA.

Integer Laudo, 91

———————————— *Haberi*

Ut cupiat formoſus, 94

De Perceptione & Retentione, 96

Χαλεποὶ δὲ Θεοὶ φαίνεσθαι ἐναργεῖς, 101

Nunquam peniteat non deformem eſſe Natum, 104

Luna habitabilis, 107

Pro More & Monte, 113

Somniorum Phænomena, 116

Sidera excantata Voce Theſſalâ
Lunamque Cœlo deripit, 121

Datur in mundo continuus Entium ordo, 124

Ad Celſiſſimum Principem Gulielmum Cumberlandiæ Ducem, 129

Ἄριστον μὲν Ὕδωρ, 131

Ad G. Hayes, M. D. 134

Dux Fœmina Facti. 136

Camera Obſcura. 140

VA1 1552636

84' 5. 2.3